


6th


n° 56

44-133

OC 0:

56





Res 43133(c)

MORALIS CHRISTIANA

EX SCRIPTURA SACRA,
Traditione, Conciliis, Patribus,
& insignioribus Theologis.

EXCERPTA.

In quâ positis & statutis principiis generalibus de-
ducuntur Consectaria;

Quibus casus conscientia sigillatim explicantur.

Auctore R. P. JACOBO BEZOMBES, Doctore
Theologo, Congregationis Doctrinæ Christianæ,
& in Provincia Tolosana ejusdem Congrega-
tionis præposito Provinciali.

*Quis quis hæc legit, ubi pariter certus est, pergit mecum; ubi
pariter hæsitat, querat mecum; ubi errorem suum cognoscit,
redeat ad me; ubi meum, revocet me, & ita ingrediamur si-
mul charitatis viam, tendentes ad eum, de quo dictum est:
Quærite faciem ejus semper. Aug. lib. I. de Trin. cap. 3.*

TOMUS L.



TOLOSANE

Apud G. ROBERT, Liberalium Atrium Magistrum &
Typographum, in vico Sanctæ Ursulae.

M. DCCIX.

Cum Approbatione & Privilegio.

121482

121482

¶ ¶

PRÆFATIO.

ET si , quæ sit hujus operis ratio , ex ipsâ inscriptione sat- tis judicari possit , quædam tamen breviter præmittenda existi- mavi , ut scilicet quo animo sus- ceptum sit opus , quoque ordine pertractatum clarius & facilius lectores intelligant .

Duae igitur in primis causæ me commovent ut hoc opus aggre- diar : primò enim cum plerique Morales Theologi ex solâ huma- nâ ratione res gravissimas æstima- re , & ex meritis hominu'm opina- tionibus omnia confidere soleant , non inutile aut ingratum fore du- xi iis omnibus quibus incumbit animarum cura , si moralem iis droponerem , quæ solidioribus ni- teretur principiis , & ex Scriptu-

PRÆFATIO.

râ ipsâ , Traditione , Conciliis ,
Patribus & insignioribus Theo-
logis excerpta, plus ipsis afferet si-
mul & utilitatis & securitatis.

Deinde , cum sœpè mecum ta-
citus agitarem , quanta sit rerum
moralium & diversitas & ampli-
tudo , ac proinde quàm difficilis ,
quàm ardua earum cognitio , me
operæ præmium facturum esse in-
tellexi , si novam tentarem me-
thodum , in quâ rerum moralium
amplitudo & diversitas contrahe-
retur , simulque levaretur earum-
dem cognoscendarum difficultas .

Quod quidem fieri posse arbitror ,
si primò ex morali disciplinâ ques-
tiones omnes , quæ fovendis tan-
tum contentionibus , non ædifi-
candis moribus utiles sunt , om-
ninò secludantur ; eaque metho-
do tradantur res morales , ut ad
certa principia revocentur , ex
quibus principiis reliqua deinde

PRÆFATIO.

omnia facile consequantur : sic enim fieri potest , ut intellecto semel vel uno principio , simul vel centum quandoque conclusiones sine labore intelligantur. Atque illa certè posterior ratio me potissimum impulit , ut morali quam publici juris facio , manum & operam ad moverem , eamque secundum illam methodum quæ magnum affert legentibus laboris compendium , exigerem.

Ut igitur operis mei rationem & ordinem planè intelligatis , Lectores benevoli , hæc tria attendatis velim : primò , res morales ad certa principia ubique revoco ; quæ quidem principia non humanis rationibus aut conjecturis , sed Scripturæ & Traditionis autoritate , quantum res patiuntur , accurate stabilio ; & ex quibus deinde Consectaria seu conclusiones deduco.

PRÆFATIO.

Præterea quæstiones omnes quæ nimia subtilitate disputantur, missas facio ; nec in conficiendis aut solvendis objectiōnibus tempus tero , ea præoccupare aut diluere contentus , quæ ad principiorum intelligentiam visa sunt omnino necessaria.

Denique quo magis levetur lectorum labor ; meum opus sic distribuo, ut sequentes Tractatus , quantum fieri potest , ex prioribus pendeant , & priora in subsequentium intelligentiam deducant.

Erit igitur hæc Moralis nostra Christiana in septem libros distributa. Primus liber quatuor habet tractatus , quorum primus explicabit è quibus fontibus erui debeat disciplina moralis. Secundus de objecto Moralis Christianæ differet. Tertius ager de in-

P R A E F A T I O.

ternâ morum regulâ seu conscientiâ, Quartus denique de externâ morum regulâ seu de lege disserbit.

Secundus liber de primo Decalogi præcepto quatuor tractatus complectitur ; primum de fide ; secundum de spe ; tertium de charitate ; quartum de Religione.

Tertius in explicandis octo Decalogi præceptis , secundo scilicet , tertio , quarto , quinto , sexto , octavo & nono , totus versabitur , & sex tractatibus absolvetur : placuit enim sextum & nonum præceptum ob mutuam inter se affinitatem simul explicare.

Quartus expediet septimum Decalogi præceptum : *Non furum facies* : quo referenda sunt ea omnia quæ ad ius & justitiam , ad rerum dominium , usu-

PRÆFATI O.

capiones , contractus , donatio-
nes , testamenta & restitutionem
pertinent.

Quintus liber varios hominum
status considerat , & tres tracta-
tus continet : primus de statu
Religioso ; secundus de statu Cle-
ricali seu Ecclesiastico ; tertius
de variis Laïcorum conditionibus
inquirit , & sua cuique conditio-
ni officia indicat.

Sextus exponit Ecclesiæ præ-
cepta , censuras Ecclesiasticas ,
& Sacra menta.

Septimus ipsos Moralis Chri-
stianæ fontes , seu libros , in qui-
bus Moralis disciplinæ principia
continentur , aperiet , & quâ ra-
tione iisdem libris ad solvendos
conscientiæ casus utendum sit ,
edocebit . Erit autem hic postre-
mus liber in quatuor tractatus
divisus , in primo quædam ad
Scripturæ intelligentiam , mora-

PRÆFATIO.

ibus Theologis scitu necessaria breviter observabimus. In secundo synopsim Ecclesiæ Canonum cum annotationibus subjiciemus; & eam simul trademus methodum, quā facile addisci & memoriâ retineri possint. In tertio utriusque Juris & Civilis & Canonici brevem ideam proponemus. In quarto denique quibus præsertim Theologorum summulis sit inhærendum, quidque in illis legendis observandum, explicabimus.

Reliquum est ut vos præmoniam, Lectores benevoli, ne minus vobis aut molestum videatur, si quando ab incepto operre non nihil digrediar, & constitutos Morali Theologo fines transiliam Concionatorem agens aliquando magis quam Casuistam. Id ex industria factum est; non enim Confessariis solum, sed

PRÆFATIO.

Concionatoribus & Missionariis
etiam consultum volui. Valete
Lectores benevoli, quæque ad
animarum salutem scripsi, in bo-
nam partem accipite.

~~Facultas Reverendi admodum Præpositi Generali Congregationis Doctrinæ Christianæ.~~

Facultas Reverendi admodum Præpositi Generali Congregationis Doctrinæ Christianæ.

NO S PETRUS ANNATUS Congregationis Patrum Doctrinæ Christianæ Præpositus Generalis, Librum, cui titulus est, *Moralis Christiana*, &c. à R. P. Jacobo Besombes, Congregationis nostræ, Doctore Theologo latine contextum, & à tribus aliis ex eadem nostra Congregatione Theologis Lectum & approbatum, prelo Typographicō mandari, & luci publicæ dari permittimus, in cuius rei fidem has præsentes manus nostræ subscriptione firmatas & sigillo officii nostri munitas dedimus Parisiis, in domo nostra Sancti Caroli pridie kalendas Maii, anno Christi Domini 1708.

ANNATUS, Præp. Generalis.

Approbatio Doctoris Sorbonici.

EGO infra scriptus Facultatis Parisiensis Doctor Sorbonicus & in æde Sacra Beatisimæ Virginis Mariæ de Cahusac propè Gimontem Cappellanus, de mandato illustrissimi Franciæ Cancellarii legi librum latine scriptum, cui titulus; *Moralis Christiana ex Scriptura Sacra, Traditione, Conciliis, Patribus & insignioribus Theologis excerpta* in quo ope- re nihil reperi, quod fidei, & bonis moribus repugnet; immò in quo eluent methodus in tradendis morum regulis perspicua & nova,

probationes authēticæ , doctrina nec seve-
rior, nec laxior, scientia Theorica simul & prac-
tica dirigendis moribus & audiendis confes-
sionibus apta ; in cuius rei fidem subscripti.
Datum in dicto Sacello Cahusacensi , die 21.
mensis Septembris , anno Domini millesimo
septingentesimo octavo.

D. MALAUBERT Doctor Sorbonicus.

PRIVILEGE DU ROT.

L OUIS par la grace de Dieu , Roy de France & de Navarre : A nos amez & feaux Conseillers les gens tenans nos Cours de Parlement , Maitres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel Grand Conseil privé de Paris . Baillijs , Sénéchaux leurs Lieutens Civils & autres nos Justiciers qu'il appartiendra ; SALUT. Le Pere BESOMBES Prêtre de la Doctrine Chrétienne , Nous ayant fait exposer qu'il desireroit donner au public , un ouvrage de sa composition , intitulé , *Moralis Christiana , ex Scriptura Sacra . ex traditione , Conciliis , Patribus . & insignioribus Theologis excerpta* ; s'il nous plairoit luy accorder nos Lettres de Privilege sur ce necessaires. Nous avons permis & permettons par ces presentes audit Pere BESOMBES , de faire imprimer led. Livre , en telle forme , marge , caractere , & autant de fois que bon luy semblera , & de le

faire vendre & débiter par tout notre Royaume pendant le tems de huit années consécutives à compter du jour de la date desdites présentes : Faisons deffenses à toutes personnes de quelque qualité & condition qu'elles puissent être, d'en introduire d'impressions étrangères dans aucun lieu de notre obéissance ; & à tous Imprimeurs, Libraires & autres, d'imprimer, faire imprimer, vendre, débiter, ni contrefaire ledit Livre, en tout ni en partie; sans la permission expresse, & par écrit dud. Exposant ou de ceux qui auront droit de luy ; à peine de confiscation des Exemplaires contrefaits, de quinze cens livres d'amende contre chacun des contrevenans, dont un tiers à nous, un tiers à l'Hôtel Dieu de Paris, l'autre tiers audit Exposant, & de tous dépens dommages & intérêts ; à la charge que ces présentes seront enregistrées tout au long sur le Registre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris, & ce dans trois mois de la date d'icelles ; que l'impression dudit Livre sera faite dans notre Royaume & non ailleurs, en bon papier, & en beau caractère, conformément aux Reglemens de la Librairie, & qu'avant que de l'exposer en vente, il en sera remis deux Exemplaires dans notre Biblioteque publique, un dans celle de notre Chateau du Louvre, & un dans celle de notre très cher & feal Chevalier Chancelier de France le Sieur Phelipeaux, Comte de Pontchartrain, Commandeur de nos Ordres ; le tout à peine de nullité des présentes, du contenu de quelles

vous mandons & enjoignons de faire jouir
l'Exposant ou ses ayant cause , pleinement
& paisiblement , sans souffrir qu'il leur soit
fait aucun trouble où empêchement . Vou-
lons que la copie desdites présentes qui se-
ra imprimée au commencement ou à la fin
dudit Livre , soit tenuë pour duément sig-
nifiée , & qu'aux copies collationnées par
l'un de nos amez & seaux Conseillers & Se-
cretsaires foy soit ajoutée comme à l'origi-
nal . Commandons au premier notre Huissier
ou Sergent de faire pour l'execution
d'icelles tous Actes requis & nécessaires sans
demander autre permission , & nonobstant
clameur de Haro , Charte Normande & let-
tres à ce contraires . C A R tel est notre plaisir .
Donné à Fontainebleau le premier jour de
Juillet , l'an de grace mil sept cens huit , &
de notre règne le soixante-sixième . Par le
Roy en son Conseil L E C O M T E .

*Registré sur le Registre n°. 2. de la Com-
munauté des Libraires & Imprimeurs de Paris
pag. 353. n°. 664. conformément aux Régle-
mens , & notamment à l'Arrêt du Conseil du 13.
Août 1703. A Paris ce 8. Juillet 1708.*

LOUIS SOUESTRE Syndic.

Ledit Sieur Auteur a cédé & transporté son
droit du Privilege pour le tems & aux clauses
qu'il contient à Guillaume Robert , Maître
ez Arts & Imprimeur à Toulouse , pour en
jouir par lui suivant l'accord fait entr'eux .

Les Exemplaires ont été fournis.

ORDO.

ORDO.

Eorum, que in hoc primo volume continentur.

TRACTATUS Primus. De principiis Moralis Christianæ, seu de fontibus, e quibus erui debeat Moralis Christianæ. fol. 1.

CAPUT I. Quot & qui sunt fontes Moralis Christianæ.

1. Fons Moralis Christianæ est divina revelatio. ibidem.

Divina revelatio continetur 1°. in Scriptura Sacra.

2. In traditione divina.

3 In Conciliis œcumenicis, vel particularibus, quæ sunt universali Ecclesiæ consensu recepta.

4. In unanimi SS. PP. consensu.

2. Fons Moralis Christianæ est summi Pontificis de aliqua morali controversia solempne judicium.

3. Fons est judicium Conciliorum particularium.

4. Fons est Episcoporum judicium.

5. Fons est Patrum autoritas.

6. Fons est Theologorum scholasticorum autoritas.

7. Fons est ratio naturalis.

CAPUT II. Quomodo predictis Moralis.

Tom. I.

ORDO.

- Christianæ principiis utendum sit.* 21
Regula 1. standum est revelationi. *ibid.*
Regula 2. defectu revelationis standum est demonstrationi necessariæ ex revelatione deducta. 23
Regula 3. defectu revelationis & demonstrationis necessariæ audiendi sunt Superiores Ecclesiastici. *ibid.*
Regula 4. horum defectu audiendi sunt ii, qui in Ecclesia sunt tum antiquitate, tum doctrina, tum pietate præstantiores. 24
Reg 5. consulenda est etiam ratio, sed cum magna cautione. 25
- TRACTATUS II. De objecto Moralis Christianæ.** 27
- CAPUT I. Quinam actus in homine Morales sint, seu capaces bonitatis & malitiae.** 28
Cognitio & libertas requiritur ad actum moralem. *ibid.*
- Consectaria hujus Doctrinæ.** 30
Ad demeritum sufficit advertentia & libertas virtualis. 31
Consectaria hujus Doctrinæ. 33 & 35
Ad meritum sufficit virtualis attentio. 37
- CAPUT II. Unde petatur actuum humanorum bonitas & malitia.** 38
Ad bonitatem requiritur conformitas cum regulis motum ratione objecti & finis & circumstanciarum : ad malitiam sufficit disformitas cum iisdem regulis ratione unius eorum. 40
- Consectaria hujus Doctrinæ.** 42
Intentio quantumvis recta non excusat in his, quæ constat esse mala. 46
Bonitas & malitia essentialis petitur ex objecto & fine, accidentaria ex circumstantiis, nisi speciem mutent. 47

O R D O.

Consectaria hujus Doctrinæ.	57
C A P U T . III. Quomodo actus , sive boni , sive mali inter se invicem distinguantur.	52
Virtutum & vitiorum distinctio specifica pe- titur ex objecto & fine , & aliquando ex circumstantiis.	53
Consectaria hujus Doctrinæ:	54
Regulæ ad dignoscendum quando circum- stantiæ speciem mutant	56
Virtutum & vitiorum distinctio numerica pe- titur ex morali temporis interruptione.	58
Consectaria hujus Doctrinæ.	59
Virtutum & vitiorum essentialis inæqualitas petitur ex objecto & fine ; accidentaria ex circumstantiis speciem non variantibus.	61
Consectaria hujus Doctrinæ	62
Quomodo peccatum mortale à veniali dis- cerni queat.	68
Regulæ quibus discernitur , quæ peccata sint ex se mortalia , quæ vero venialia.	71
Regulæ , quibus discerni potest , quando actus malus hic & nunc in individuo le- thalis sit , vel venialis.	73
Levitatem materiæ non cadit in quodlibet le- thalis peccati objectum.	78
T R A C T A T U S III. De interna actuum hu- manorum regula , seu de conscientia.	80
C A P U T I. Quid & quotuplex sit conscientia.	81
Numquam licet agere contra conscientiam quamvis erroneam.	82
Consectaria hujus Doctrinæ.	83
Non licet semper agere ex conscientia.	85
C A P U T II. Quæ requirantur , ut conscientia sit morum regula.	86
Ut conscientia sit morum regula , debet esse é ij.	

ORDO.

conformis legi, vel saltem inculpate p <small>re</small> -sumi talis.	ibid.
Consectaria hujus Doctrinæ.	88
Ut conscientia sit morum regula, debet esse certa.	91
Consectaria hujus Doctrinæ.	93
Ut conscientia sit morum regula, sufficit quod sit moraliter certa.	95
Consectaria hujus Doctrinæ.	97
C <small>AP</small> IT <small>U</small> R III. <i>De conscientia dubia.</i>	101
In dubio debemus abstinere ab actione, si agendi necessitate non premamur.	ibid.
Consectaria hujus Doctrinæ.	103
Dubium non ad nutum, sed ex recta ratione deponi debet.	104
Consectaria hujus Doctrinæ.	105
In dubio, dum urget agendi necessitas, tutior pars est eligenda in foro conscientiæ, & extra materiam justitiæ commutativæ.	109
Consectaria hujus Doctrinæ.	111
In materia justitiæ commutativæ in dubiis melior est conditio possidentis.	114
In foro externo judex tenetur judicare juxta hanc regulam.	116
Consectaria hujus Doctrinæ.	117
Si nulla pars tutior videatur, recurrendum ad orationem, & eligendus actus, qui minus cupiditati favebit.	119
Consectaria hujus Doctrinæ.	ibid.
C <small>AP</small> IT <small>U</small> R IV. <i>De conscientia probabili.</i>	120
Sola probabilitas non est morum regula.	124
Consectaria hujus Doctrinæ.	127
In concursu duarum opinionum æqualiter probabilium tenemur eam sequi, quæ legi faverit.	130

Ó R D O.

Consectaria hujus Doctrinæ.	133
In concurso duarum opinionum , quarum una est probabilior ac tutior altera , tene- munt sequi probabilem ac tutiorem.	134
Consectaria hujus Doctrinæ.	135
Licet sequi opinionem probabiliorem in con- cursu tutioris , quæ est minus probabilis , modo probabilioritas sit Theologica.	140
Monita circa usum prædictæ propositionis.	142
C A P U T V . De conscientia scrupulosa.	145
Quomodo deponenda sit conscientia scrupulosa.	ibid.
Quæ observanda in deponendo conscientiam scrupulosam.	146
T R A C I A T U S IV . De Lege.	149
C A P U T I . Quid & quotuplex sit lex & quomodo à præcepto distinguitur.	150
Varia inter legem naturalem & positivam dis- crimina.	153
Quotuplicis sint generis præcepta legis , tum naturalis , tum positivæ.	ibid.
Quæ sit lex justa , quæ injusta.	154
C A P U T II . Que sit legum iam justarum quam injustarum in homines autoritas.	156
Discrimen inter legem & consilium est , quod lex obliget in conscientia , minimè vero consilium.	ibid.
Consectaria hujus Doctrinæ	158
Legem justam infringens peccat vel morta- liter , vel venialiter.	164
Consectaria hujus Doctrinæ.	165
Lex injusta ex objecto nullatenus est obser- vanda	173
Consectaria hujus Doctrinæ.	174

ORDO.

- Lex iusta solum vel ex autore , vel ex modo , vel ex fine , & non ex objecto , observari quidem potest ; sed potest omitti citra peccatum , nisi timeatur vel scandalum , vel perturbatio. 177
- Consectaria hujus Doctrinæ. 179
- CAPUT III. De modo , secundum quem lex obligat. 182
- Lex non ligat , nisi juxta intentionem rationalem Legislatoris. ibid.
- Consectaria hujus Doctrinæ. 183
- Lex merè pœnalis obligat solum ad pœnam ; mixta vero ad culpam & pœnam. 192
- Consectaria hujus Doctrinæ. 193
- Regulæ ad dignoscendum , quandonam lex est merè pœnalis , & quando mixta. 194
- In concursu legum magis universalis debet observari juxta determinationem minus universalis. 202
- Quando aliqua lex emendatur per aliam , tunc debet observari juxta modum , secundum quem emendatur. 204
- Quando una lex est aecessoria alteri , tandem viget , quandiu lex principalis. 208
- Consectaria hujus Doctrinæ. 209
- In concursu legum oppositarum , lex fortior est observanda , alia omittenda. 210
- Consectaria hujus Doctrinæ. 211
- CAPUT IV. Quantum extendatur quelibet lex , & quoad objecta , & quoad actus , & quoad personas. 215
- Voluntas Dei quatenus causa est principium effectivum bonorum , & permisssivum malorum ; quatenus lex est regula aut agendorum , aut omittendorum. ibid.

ORDO.

- Consectaria hujus Doctrinæ. 216
Lex naturæ ad ea omnia officia se extendit,
quæ homo sui conscius, & sine lumine fi-
dei, cognoscit se debere Deo, sibi, &
proximo. 219
Tria principia naturaliter nota, ex quibus ho-
mo infert in particulari, quid debeat &
sibi, & Deo, & proximo. 221
Lex civilis ad ea solum se extendit, quæ per-
tinent ad communitatem civilem. 224
Consectaria hujus Doctrinæ. 225
Principes sæculares nullam habent potesta-
tem condendi leges circa spiritualia ad re-
ligionem pertinentia. 227
Consectaria hujus Doctrinæ. 230
Principes sæculares possunt & debent con-
dere leges circa res & personas sacras, ut
defensores fidei, non ut Doctores; ut vin-
dices Canonum, non ut conditores. 232
Consectaria hujus Doctrinæ. 234
Ecclesia jure divino habet potestatem spiri-
tualem præcipiendi fidelibus, quidquid
ad eorum salutem conducere potest. 238
Consectaria hujus Doctrinæ. 239
Potestas Ecclesiastica in Ecclesia Gallicana
debet exerceri juxta statuta Patrum & an-
tiquos Canones. 245
Consectaria hujus Doctrinæ. 246
Auctoritas Ecclesiastica neque directè, neque
indirectè extenditur jure divino ad tem-
porale Regum vel subditorum sine eorum
consensu. 251
Consectaria hujus Doctrinæ. 254
Clerici possunt humano jure ditiones & prin-
cipatus obtinere. 258

O R D O.

- Consectaria hujus Doctrinæ. 269
Juxta præsentem Ecclesiæ Gallicanæ præ-
xim jurisdictio Ecclesiastica circa causas
non merè spirituales certis limitibus ad-
stringitur. 261
Lex positiva divina extenditur ad ea omnia,
quaæ nos ad salutem consequendum con-
ducere possunt. 267
Quælibet lex justa præcipit actus virtuosos
conducentes ex se ad finem legis, vetat
vero actus viciosos abducentes per se à fi-
ne legis. 268
Consectaria hujus Doctrinæ. 269
Actus internus liberè & voluntariè elicitus
repugnans legi est peccatum, licet exte-
rius non adimpleatur. 271
Consectaria hujus Doctrinæ. 272
Actus exterior difformis legi, quo actum in-
teriorum exequimur, novam secum affert
malitiam in confessione aperiendam. 277
Quando plura inter se necessariam habent
connexionem, si lex præcipiat unum,
præcipit & aliud; si prohibeat unum, pro-
hibet & aliud. 279
Consectaria hujus Doctrinæ. 280
Quando lex vetat aut præcipit aliquid, al-
loquitur non solum factores sed etiam
cooperatores. 282
Consectaria hujus Doctrinæ. 283
Capu. V. De modo, secundum quem lex
debet observari. 290
Lex observanda est juxta rationalem inten-
tionem Legillatoris. ibid.
Consectaria hujus Doctrinæ. 291
Ad satis faciendum speciali præcepto de a. tu

ORDO.

alicujus virtutis , sufficit quod fiat motivo virtutis , quæ præcipitur.	300
Consectaria hujus Doctrinæ,	302
CAPUT VI. <i>Quomodo lex sit interpretanda.</i>	304
Tunc solum interpretatione utendum , cum intentio Legislatoris latet , minimè si clare appareat,	305
Consectaria hujus Doctrinæ.	<i>ibid.</i>
Non licet legem interpretari juxta privatos affectus , sed solum juxta æquiorem Legislatoris intentionem.	307
Consectaria hujus Doctrinæ.	308
Consuetudo bona est observanda.	312
Consectaria hujus Doctrinæ.	313
Consuetudo mala , ex quocumque capite sit vitiosa , tollenda est , & nullatenus servanda.	315
Consectaria hujus Doctrinæ.	<i>ibid.</i>
Consuetudo legitima abrogat legem in rebus indifferentibus , quæ sunt solum per legem positivam vel præceptæ , vel prohibitiæ.	317
Consectaria huius Doctrinæ.	318
CAPUT VII. <i>De his , quæ excusant ab observantia legis.</i>	320
Ignorantia invincibilis & omnino involuntaria excusat totaliter à peccato.	324
Consectaria hujus Doctrinæ.	325
Ignorantia aliquo modo vincibilis non excusat à toto , sed à tanto.	327
Consectaria hujus Doctrinæ	<i>ibid.</i>
Probabilissimum est dari de facto ignorantiam inculpabilem juris naturæ , relativè solum ad conclusiones longe remotas;	

O R D O:

- à primis principiis. 328
- Consectaria hujus Doctrinæ. 330
- Ignorantia affectata non excusat à peccato. 332
- Consectaria hujus Doctrinæ. 334
- Passio omnino involuntaria & absorbens usum rationis, excusat totaliter à peccato; quæ verò est aliquo modo volita, & relinquit aliquem usum rationis, non excusat à toto, sed à tanto. 339
- Consectaria hujus Doctrinæ. *ibid.*
- Passio voluntariè affectata adauget peccatum, & eo magis aggravat, quod est magis voluntaria. 340
- Consectaria hujus Doctrinæ. 341
- Qui sentit sibi inesse pravam consuetudinem, tenetur illam vincere: si neglexerit non excusat à peccato, licet inco-
gitanter erumpat in actum. 342
- Consectaria hujus Doctrinæ. 344
- Metus gravis numquam excusat à violatione præcepti, tum negativi, tum affirmativi, juris naturalis. 347
- Consectaria hujus Doctrinæ. 349
- Metus gravis excusat ab observatione præcepti positivi, Ecclesiastici, vel civilis, nisi violatio importet præjudicium boni universali. 350
- Consectaria hujus Doctrinæ. 351
- Usus dispensationum & privilegiorum est an-
tiquus in Ecclesia. 352
- Non omnis dispensatio est licita, nec omne
privilegium licitum. 354
- Dispensatio non potest licite dari, nec pe-
ti, circa ea, quæ ad jus naturale, vel di-

ORDO

- Vinum positivum pertinet, & quæ sunt necessaria ad salutem ex so'a Dei ordinatione. 356
Consectaria hujus Doctrinæ. 357
Dispensatio potest licetè dari & peti circa ea, quæ sunt necessaria ad salutem ex Dei ordinatione, & simul ex nostra electione, licet sint juris naturalis, & positivi divini. 358
Consectaria hujus Doctrinæ. 359
Dispensatio potest & dari & peti circa ea, quæ pertinent ad jus positivum humanum. 360
Ut dispensatio sit valida, supponit in dispensante legitimam autoritatem, & extermi fori jurisdictionem, vel contentiosam, vel gratiosam. 363
Consectaria hujus Doctrinæ. 366
Dispensatio non potest dari nec peti sine causa circa ea, quæ pertinent ad jus vel naturale, vel positivum divinum inductum ex Dei ordinatione & nostra electione. 375
Consectaria hujus Doctrinæ. 377
Supradicta causa dispensandi potest esse triplex, utilitas spiritualis illius, qui dispensandus est, bonum Ecclesiae, & promotio gloriæ Dei. 379
Consectaria hujus Doctrinæ. 380
Dispensatio data sine causa etiam à Legislatore supremo circa jus positivum est illicitia juxta probabiliorem & tutiorem sententiam. 382
Consectaria hujus Doctrinæ. 384
Ut dispensatio sit licita, sufficit quod causa dispensandi sit proportionata & personæ,

ORDO.

- & rei, circa quam datur. 386
Confectaria hujus Doctrinæ. *ibid.*
- Variæ causæ & motiva dispensandi & concedendi privilegia. 388
- Afferuntur casus, in quibus cessant dispensationes & privilegia. 391
- Quid faciendum confessario, ad quem accedit pœnitens, qui eget dispensatione. 391
- Varia motiva, ob quæ dari solet dispensatio. 395
- Variae formulæ litterarum supplicum ad obtinendam dispensationem, vel à Papa, vel ab Ordinariis. 396

MORALIS



MORALIS CHRISTIANA

EX
SCRIPTURA SACRA,
Traditione, Conciliis, Patribus,
& insiguioribus Theologis
EXCERPTA.

TRACTATUS PRIMUS.

DE PRINCIPIIS MORALIS CHRISTIANÆ,

*Seu de fontibus è quibus erui debeat
Moralis Christiana.*

MORALEM Christianam tradituri à principiis ordimur è quibus erui illa debet ; naturalis enim ordo postulat ut dum traditur aliqua disciplina , principia ex quibus ea pendet antè omnia constituantur ; quare in hoc primo tractatu quæremus. Primo quot , & qui sint

A

2 MORALIS CHRISTIANA.

fontes seu principia è quibus erui debet Moralis Christiana. Secundo quomodo iisdem principiis utendum sit.

CAPUT I.

Quot & qui sunt fontes Moralis Christianæ.

I. PROPOSITIO. Primus & præcipuus fons Moralis Christianæ est divina revelatio.

Probatur 1º. Ex Scripturâ. Divinâ revelatio homini in eum finem data est, ut homo excœcatus per peccatum sua officia edisceret, juxta illud Pauli: *Omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad argendum, ad corripiendum & erudiendum in justitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* 2. ad Tim. cap. 3. v. 16. utque innumera testantur Scripturæ oracula, quæ passim asserunt ideo nobis Deum locutum suisse, ut nos è tenebris educeret: ergo ex revelatione primò & præcipuè hauriri debent Christianæ Moralis officia.

Probatur 2. Autoritate Patrum. Divina revelatio continet verbum Dei qui nec falli, nec fallere potest: non falli, quia est infinitè sciens, non fallere, quia est infinitè bonus; ergo ex revelatione primò & præcipuè pectenda est Christiana Moralis ex qua pendet hominis æterna tum beatitudo, tum felicitas; in quam sententiam Clemens Alex. ait 7. lib. Strom. *Non expectamus testimonium quod*

datur ab hominibus , sed voce Domini probamus quod quæritur , quæ est magis fide digna quam quævis demonstratio ; vel potius quæ est sola demonstratio . Quò etiam pertinet illud divi Thomæ I. contra gentes cap. 4. Salubriter ergo divina providit Clementia , ut ea etiam quæ ratio investigare potest , fide tenenda præciperet . Ut sic omnes de facili possent divinæ cognitionis participes esse : & absque dubitatione & errore . Hinc est quod Ephæs. 4. dicitur . *Fam non ambuletis sicut & genies ambulant in vanitate sensus sui , tenebris obscuratum habentes intellectum .* Et Isaïæ 54. *Ponam universos filios tuos doctos à Domino .*

Probatur 3. Ratione . Officia Moralis Christianæ , vel juris sunt naturalis , vel supernaturalis : si supernaturalis , in his humana ratio seclusa revelatione , planè cæcutit , ut patet ex officiis quæ Deo debemus Redemptori , quæ quidem sine lumine fidei nullatenus innotescunt ; si vero juris sint naturalis in his humana ratio etiam sagacissima sæpè errat , ut patet ex Philosophis , qui vel in ipsum decalogum tot scelera permiserunt , putâ fursum , ut Lycurgus , monstrosam uxorum communitatem , ut Plato ; liberorum internecionem , ut Aristoteles ; utque etiam clarius patet ex quibusdam hæreticis qui morum disciplinam ex sola ratione admetiri voluerunt ; hi enim ut dicit Damascenus lib. de hæresibus in fine : *In moribus & rebus agendis aberrant , & aliquas res agendas , quæ præclaræ sunt , & cum laude conjuncte , criminantur ; contraque nonnullas , quæ vituperatione dignæ sunt approbant .*

MORALIS CHRISTIANA.

Rursus, Doctrina morum non minus est revelata quam Doctrina fidei, quia uti scriptum est, *sine fide impossibile est placere Deo*, ita & dictum est, *fides sine operibus mortua est*. Ergo si fidei doctrinam ex revelatione eruimus, Doctrinam morum ex eadem revelatione debemus desumere.

CONSECTARIUM. Hinc intelligi potest casuum arbitris ante omnia consulenda esse ea in quibus divina revelatio continetur.

§. I.

Ac primò quidem consulenda est diligenter Scriptura Sacra; hæc enim verbum Dei continet. Non enim, ut ait Petr. 2. c. 1. v. 21. *Voluntate humana allata est aliquando propria*: sed *Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines*. Neque fidei nostræ tantum sed & morum normam continet. Ibi enim ut ait Aug. lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 9. *Inveniuntur illa omnia quæ continent fidem, moresque vivendi: & lib. 3. cap. x. Non præcipit scriptura, nisi charitatem, nec culpat nisi cupiditatem, & eo modo informat mores hominum*.

Undè videmus utriusque testamenti Patres, Apostolos & ipsummet Christum, quoties de moribus instituendis agebatur, scripturam consuluisse, aut ad eam populos remisisse.

Sic Moïses jussit ut quolibet anno remissionis in solemnitate tabernaculorum Levita scripturam legeret, & ita^{*} populum edoceret. *Convenientibus inquit cunctis ex Israël; ut appareant in conspectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit Dominus, leges verba legis*

TRACT. I. CAPUT I. 5

hujus, coram omni Israël, audientibus eis
ut audientes discant, & timeant Dominum Deum
vestrum, & custodiant, impleantque omnes ser-
mones legis hujus Deuteroni. 31. v. 10.

Sic Josue populum mittit ad scripturam.
*Estote ait solliciti ut custodiatis cuncta que
scripta sunt in volumine legis Moysis.* Jos. 23.
v. 6.

Sic Isaias Judæos à consulendis Pythoni-
bus avertit & ad divinam legem remittit,
cap. 8. v. 19. *Et cum dixerint ad vos, querite
à Pythonibus, & à divinis, qui strident in in-
cantationibus suis: ad legem magis & ad testi-
monium.*

Sic Esdras per lectionem scripturarum præ-
varicantes Judæos ad morum reformationem
reduxit. *Attulit ergo Esdras Sacerdos Legem co-
ram multitudine virorum & mulierum . . . fle-
bat omnis populus cum audiret verba legis.* cap.
8. v. 2. & 9.

Sic Christus tentatus à diabolo revincit
illum, dicens *scriptum est.* Math. cap. 4. v. 4.
& consultus à Scriba cum his verbis ten-
tante. *Magister quid faciendo vitam eternam
posidebo.* Non aliò mittit quam ad scripturam
in lege inquit, quid scriptum est, quomodo legis.
Luc x. v. 26.

Uno verbo omnibus ait *Scrutamini scrip-
turas.* Joannis 5. v. 39.

Sic Abraham divitis epulonis fratres ad
scripturam mittit. *Habent Moïsem & Prophè-
tas: audiunt illas.* Luc. 16. v. 29.

Sic Apostoli aiunt. *Doctrinis variis & pe-
regrinis, id est à scripturâ alienis, nolite ab-
ducere,* ad Hebr. cap. 13. vers. 9.

6 MORALIS CHRISTIANA.

Sic demum Concilia scripturam sacram in medio collocant, utpote fontem omnis salutaris veritatis, & morum disciplinae, ut ait Trident. Ses. 4. decr. 3.

Prophanos ergo authores quoties fidei adversantur cum Davide despiciamus, & legem Divinam meditemur. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes sed non ut lex tua.* Psalmo 118. v. 85.

§. II.

Attendenda est Traditio, non humana, sed Divina, non per privatos Authores proposita; sed non interrupta Pastorum successione fideliter ad nos transmissa; quia Divinam revelationem ore tenus traditam exhibit. *Interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea,* inquit Jere c. 6. v. 16. Et Paulus ait. *State & tenete traditiones quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* 1. ad Thessal. c. 2. v. 14. *Tenax sis traditionis Divinæ,* inquit Vincent. Lirin. in Commonitorio 1. c. 27. *In qua non author debes esse, sed custos; non infiltrator, sed sectator: non ducens sed sequens.* Et Chrysostomus isto longe antiquior. *Est Traditio nihil quæras amplius.* In 2. ad Thesal. homil. 4.

Ita observatum semper multis exemplis, constat.

Sic Moïses Judæos ad Traditionem remittit. *Interroga Patrem tuum & annuntiabit tibi.* Deuter. cap. 32. v. 7.

Sic Ecclesiasticus Disciplinam morum vult à Traditione sumi. *Ne despicias narrationem Presbiterorum ... ab ipsis enim disces sapientiam.* cap. 8. v. 10.

TRACT. I. CAPUT I. 7

Sic Christus recentes & humanae damnans Traditiones, divinas & antiquas circa Doctrinam morum confirmat, dicens: *Ab initio non fuit sic.* Math. 19. v. 8.

Sic Synagoga Traditionem consulens, legem de observatione Sabathi attemperavit, declarans licitum esse eo die animalia adquare, lapsa in foveam levare, pugnare contra hostes, & omnia ad sacrificium necessaria praestare.

Sic Ecclesia Traditionem consulens, diem Dominicam loco Sabathi celebrat, & contrà Disciplinam Apostolorum à sanguine & suffocato non abstinet.

Sic Tridentinum prioribus inhærens Conciliis. *Scripturam, nec non Traditiones, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit ac veneratur.* Sef. 4.

§. III.

Consulenda sunt Concilia œcumenica, vel particularia, quæ sunt universali Ecclesiæ consensu recepta: quia Divinam Revelationem nobis exhibent & universam Ecclesiam repræsentant, quæ cum à Spiritu Sancto dirigatur errare non potest: Unde aiunt Apostoli, *visum est Spiritus Sanctus nobis.* Act. 15. v. 28. Eodemque Divino instinctu ducti œcumenicorum Conciliorum Patres suis ita Decretis præludunt. *Sacra-sancta œcumenica Synodus, in Spiritu Sancto legitimè Congregata definit, anathemate percuit, &c.*

Unde eadem semper generalibus Conciliis reverentia exhibita quæ Verbo Divino red-

8 MORALIS CHRISTIANA.

ditur ut patet exemplis ab initio nascentis Ecclesiæ ad nos usque perseverantibus.

Sic Paulus perambulabat Syriam, & Ciliciam confirmans Ecclesias: præcipiens custodire præcepta Apostolorum & Seniorum. Act. 15. v. 41.

Sic Athanasius Epist. ad Africanos ait, Verbum Domini per œcumenicam Synodus manet in æternum.

Sic Gregorius ait. Sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere & venerari me fateor Nicænum scilicet...Constantinopolitanum...Ephesinum... & Calcedonense. Lib. I. Epis. 24. nunc 25.

Sic Concilium Constantinop. 4. can. 1. Decreta Conciliorum quasi divina Dei eloquia suscipit.

Sic demum Concilium Senonense Ecclesiam in Conciliis representatam tam in moribus quam in fide infallibilem protestatur. Sancta & infallibilis Ecclesia quæ nec à charitate decidere potest, nec ab orthodoxa fide deviare, cuius autoritatem qui in fide & moribus non sequutus fuerit; quasi Deum negaverit; infideli deterior habeatur. Decret. fidei.

§. I V.

Attendendus est unanimis sanctorum Patrum consensus, quia Divinam Revelationem ore tenus tantum, & non scripto traditam, à majoribus acceptam, & fideliter custoditam nobis exhibet; sunt enim hi Doctores, quos Deus dedit ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi. . . . ut non simus fluctuantes omnino vento Doctrinae. ad Eph. 4. v. 14.

Ideo semper vidimus quod in compunctione

dis moribus, antiquorum authoritas adhibetur.

Sic sapiens admonet, ut Doctrinam Patrum sequamur; *Ne transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt Patres tui.* Proverb. 22. v. 28.

Sic in Concilio Calcedonensi conclamatum *Hæc est fides Patrum.*

Sic in Conc. Constantip. 4. Act. x. Can. i. Patrum decreta ut morum regula proponuntur. *Sanctorum Patrum de c r e t a inquit velut inextinctæ semperque lucentes faces sequenda sunt.* Can. i.

Sic idem Concil. juxta aliam versionem eodem can. *Dicta Patrum vocat secunda Dei eloquia.*

Sic etiam in Concilio Viennensi Clemens V. ait. *Nos ad sanctorum Patrum & Doctrinam sententiam Apostolicæ considerationis aciem convertentes definimus, &c.*

Item Trid. Synodus fatetur se inhærere Patrum sententiæ & exemplo. *Orthodoxorum Patrum exempla secuta.* Ses. 4. cap. i.

Demum in omni Concilio factum est quod Vincentius Lyrinensis commonitorio 2. cap. 2. ait de Ephesino: *Patres sunt, quorum beatissima Synodus Doctrinam tenens, consilium sequens, testimonio credens, iudicio obediens, absque tandem, præsumptione, & gratia de fidei & morum regulis pronunciauit.*

Sic Aug. aliquique Doctores Ecclesiæ, nunquam ausi sunt ab unanimi antiquorum sententia recedere, tam in moribus quam in fide, quid credunt credo, quod tenent teneo, quod docent doceo, quod prædicant prædicto,

IO MORALIS CHRISTIANA.

*istis cede, & non me cedes, acquiesce istis &
quiesce à me.* lib. I. contra Jul. cap. 5.

Scripturam habes in Biblio. Traditionem
in universali Ecclesiæ praxi, unanimem Pa-
trum sensum in suis scriptis, Canones in Con-
ciliarum Collectione R. P. Labbe Jesuitæ.

I I. PROPOSITIO. Secundus fons
Moralis Christianæ est summi Pontificis de
aliqua morali controversia solemne judi-
cium.

Probatur 1. Script. Romanus Pontifex de-
bet nos in dubiis circà fidem, & mores ins-
tituere, est enim Petri successor, cui dictum
est. *Pasce agnos meos.* Id est fideles. *Pasce
oves meas.* Id est pastores. Joan. 21. v. 15. &
iterum. *Simon ego rogavi pro te, ut non def-
ficiat fides tua, & tu aliquando conversus con-
firma fratres tuos.* Lucæ 22. v. 32. Ergo ubi
non adest revelatio, consulendum est summi
Pontificis judicium.

Probatur 2. Ex Conc. Patres Florentini
aiunt. *Definimus sanctam Apostolicam sedem &
Romanum Pontificem in universum orbem te-
nere primatum, & ipsum Pontificem Romanum
successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum,
& verum Christi Vicarium totiusque Ec-
clesiae caput, & omnium Christianorum Patrem
ac Doctorem existere & ipsi in Beato Petro,
pascendi, regendi, ac gubernandi universam
Ecclesiam, à Domino nostro Jesu Christo ple-
nam potestatem traditam esse; quemadmodum
etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum, &
sacris Canonibus continetur Ergo summus Pon-
tifax audiendus est ut Doctor, & ei obtem-*

perandum est ut Patri.

Probatur 3. Ex Patribus. Silvester II. ait : *Sit lex communis Ecclesiæ, Evangelium, Apostoli, Prophetæ, Canones, spiritu Dei constituti & totius mundi reverentiâ consecrati. . . . Et Decreta sedis Apostolicæ ab his non discordantia. Inde ut scribunt Tarragonenses ad sanctum Hilarium Papam, nihil errore, nihil præsumptione ; sed Pontificali toto deliberatione præcipitur.*

Probatur 4. Ex praxi Ecclesiæ. In dubiis circa fidem & mores semper in Ecclesia quovis sæculo judicium summi Pontificis diligenter quaesitum, & reverenter exceptum est, ut obvium erit cuique legenti historiam Ecclesiasticam.

Sic primis Ecclesiæ temporibus anno 253. ad Clerum Romanum, sede etiam vacante, scriptum est à Cypriano quomodo ad pœnitentiam lapsi recipiendi essent.

Sic mediis Ecclesiæ temporibus an. 860. Bulgari nuper conversi Nicolaum primum Romanum Pontificem consulunt, ut ab eo quid credendum quidvè agendum in Religione Christiana quam amplexi fuerant, addiscant.

Sic ultimis Ecclesiæ temporibus Quietistarum illusiones & quorumdam Casuistarum opiniones summorum Pontificum judicio proscriptæ sunt, ergo in controversiis moralibus dicendum quod Aug. dicebat in causa Pelagi *Missum est ad sedem Apostolicam inde etiam rescripta venerunt, causa finita est : utinam aliquando finiatur error.* Serm. olim 2. de verbis Apost. jam 131.

C O N S E C T A R I U M. Hinc satis patet, ubi de Morali agitur. 1. Consulendas esse

12 MORALIS CHRISTIANA.

Epistolas Decretales summorum Pontificum quas quidem collectas habes ratione temporum in compilatoribus Decretalium & in Bullario : Digestas ratione materiarum in toto corpore Juris Canonici. 2. Consulendas esse Censuras summorum Pontificum, præcipuas collectas in Censurâ data à Clero Gallicano. an. 1700. nosque eas refereamus prout occasio sese obtulerit.

III. PROPOSITIO. Tertius fons Moralis Christianæ est judicium Conciliorum particularium, vel Nationalium, vel Provincialium, vel Diœcesanorum, licet universo Ecclesiæ consensu non sint recepta.

Probatur 1. Scrip. Concilia particularia exhibent judicium plurimorum Episcoporum qui propositam quæstionem examinarunt, non obiter sed attentè quilibet afferendo antiquam Ecclesiæ suæ Traditionem : ergo hujusmodi judicium in morali magni facendum est ; præsertim dicente Domino. *Vbi sunt duo vel tres congrégati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Math. 18. v. 20.

2. Ex praxi Ecclesiæ. Ea fuit Ecclesiæ consuetudo, ut sæpe celebrarentur Concilia Provincialia, quæ essent aut dispositiones ad futurum Concilium generale, aut præteriti Concilii generalis executiones : ergo consulendum est particularium Conciliorum judicium ; quia ut ait Synodus Arvernensis prima can. 1. non ob aliud finem congregabantur ; *quam ut ea quæ ad emendationem vitæ, ad severitatem regulæ vel ad animæ remedia pertinebant finirentur.*

3. Ratione. Concilium universale est infallibile

libile; quia universam Ecclesiam repræsentat, quæ, utpote columna fidei & firmamentum veritatis, deficere non potest: ergo & Concilium particulare magnæ quoque est authoratis; quia Ecclesiam particularem totam repræsentat Unde & ipsa Concilia generalia locales seu particulares Synodos magno in honore habuerunt, cisque fideles subjecendos esse decreverunt, ut patet ex septimâ Synodo act. 3. ubi Theodorus in Epistola, quam nomine Orientalium exhibuit, quamque ipsa Synodus approbavit, ait *Locales*, id est Provinciaes *Synodos non aversamur; sed magis amamus, amplectimur & recipimus, earum etiam divinitus inspiratas Canonicas constitutiones, correctiones & utiles legislationes summa observantia colimus.* Et ex octava Synodo; ubi hæc habentur can. i. *Regulas, quæ sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ, tam à sanctis... Apostolis, quam ab Orthodoxorum universalibus, nec non & Localibus Conciliis.... traditæ sunt, servare seu custodire profitemur.... sed & omnes qui christiano censemur vocabulo, panis & damnationibus.... & justificationibus quæ per illas prolatæ sunt.... canonice subjici decernimus.*

Imd̄ factum vidimus plures errores circa mores, solis particularibus Conciliis fuisse primò condemnatos, postea vero, solemni & universalí aliquo Concilio, particularem Synodus approbante, fuisse anathematisatos.

Sic Begardi & Beguinæ omnem libidinem licitam admittentes, in his qui semel essent Deo consecrati, damnati sunt in Concilio Viennensi in Austria & postea anathematisati

sunt in Concilio generali Viennensi in Galliis.

Sic Petrus Oxomensis multos errores docens, circa Sacramentum Pœnitentiæ putâ peccata non esse confienda Sacerdoti. Confessionem non esse de jure divino, &c. damnatus in Concilio particulari Compluti habito an. 1479. Postea verò ejusdem errores solemniter anathematizati in Concliis generalibus, Læteranensi scilicet & Tridentino.

C O N S E C T A R I U M. Hinc constat causum arbitris non negligenda esse Concilia particularia, & præcipue ea quæ tractant de moribus; in Conciliis enim, à primo sèculo usque ad octavum, describitur antiqua morum puritas & vetus Ecclesiæ disciplina: In Conciliis verò, ab octavo sèculo usque ad Tridentinum, cernitur, quomodo fideles ab antiquis moribus degenerarunt. Denique in Conciliis, à Tridentino usque ad nos, pristina morum puritas & antiqua disciplina revocanda proponitur.

IV. P R O P O S I T I O. Quartus fons Moralis Christianæ est Episcoporum judicium, præsertim dum plures in idem consentiunt.

Probatur. 1º. Scrip. In veteri testamento dum exoriebatur circa religionem aliquod dubium mittebantur Judæi ad Sacerdotes. *Venies, inquit Deus, ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem qui fuerit illo tempore: qui indicabunt tibi judicii veritatem.* Deut. 17. v. 9. Idem jubet Christus. *Super cathedram Moysis sedebunt Sibæ & Pharisæi; omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate & facite.* Math. 23. v. 2. Ergo cum Episcopi in locum Sacerdotum legis Mosaicæ in Ecclesia suc-

cesserint , audiendi sunt à fidelibus , in his quæ pertinent ad doctrinam fidei & morum.

2. Ex Patribus. Ignatius Epist. ad Magnesianos hortatur fideles ut Episcopis obedient. *Decet itaque & vos*, inquit, *obedire Episcopo & in nullo illi refragari*. Et Cyprianus Epis. olim 55. nunc verò 59. ostendit non aliundè oriri hæreses & schismata, quām ex eo quod Pastores audire negligamus. *neque enim aliundè*, inquit, *hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata*, quām inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur.

3. Ratione. Episcopi sunt jure divino Rectores Ecclesiæ , Patres , & Doctores populorum juxta illud Pauli act. 20. v. 28. *Spiritus Sanctus posuit vos Episcopos regere Ecclesiam Dei*; ergo sequendum est Episcoporum judicium in moralibus. Ideò videmus in Ecclesia nascentes contra bonos mores opiniones , plurium Episcoporum judicio , etiam extra Concilium fuisse condemnatos.

Sic primis Ecclesiæ temporibus Nicolaitæ admittentes communitatem uxorum ; Gnostici turpissimas voluptates licitas esse affarentes ; Episcoporum , etiam extra Concilium , judicio proscripti sunt. Unde Aug. lib. 4. ad Bonif. cap. ultimo his verbis rider Pelagianos, Concilium, ubi eorum causa examinaretur, exigentes. *Aut verò Congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur; quasi nulla hæresis aliquando sine Synodi Congregatione damnata sit.*

C O N S E C T A R I U M . Hinc vides in resolvendis casibus audiendos esse Episcopos ; nec sine gravi temeritate sperni posse eorum

judicia , aut pastorales eorum Epistolas ; præsertim cum plures in eamdem sententiam , aliis non reclamantibus , consentiunt : etenim Episcoporum mandata in subditis sibi Directibus vim habent coactivam , quæ obedientiam exigit : in aliis verò directivam quæ reverentiam postulat.

V. PROPOSITIO. Quintus Christianæ Moralis fons est Patrum authoritas , quæ major , aut minor est , prout plures , vel pauciores in idem conveniunt , neque alii contradicunt.

Probatur 1. Script. Patres sunt hi quos Deus posuit in Ecclesia tamquam Doctores juxta illud Pauli 1. ad Corin. 12. v. 28. *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos , secundò Prophetas , tertio Doctores.* Ergo in moralibus eorum Doctrina reverenter suscipienda est.

2. Ex Greg. lib. 30. moral. cap. 7. *Et Apostoli & perfecti Doctores subsequentium populorum patres sunt , tamen præcedentium filii.* Ergo si patres sint , nosque spiritualiter in Christo suâ doctrinâ genuerint , eorum sententiæ debemus in moralibus inhærere.

3. Ratione. Patres hi sunt qui , tum ob eminentem scientiam , tum ob sanctitatem insignem , tum ob venerandam antiquitatem Traditionis custodes habentur. Ergo sicuti dum sunt unanimes authoritatem faciunt irrefragabilem , sive in fide , sive in moribus : ita , dum plures in idem morum dogma consentiunt , authoritatem habent non spernendam ; sed summopere venerandam.

Ideo video semper in Ecclesia insignio-

rum Patrum sententiam magnum pondus habuisse. Sic Bernard. ait in Epis. 77. ad Hugonem de sancto Victore. *Ab his ergo duabus columnis Augustinum loquor & Ambrosium, crede mihi difficile avellor: cum his inquam me aut errare aut sapere fateor.* & Epis. 174. *Numquid patribus doctiores, aut devotiores sumus.*

C O N S E C T A R I U M. Hinc patet consulendos esse in quæstionibus moralibus sanctos Patres, eos præcipue qui ex professo materia aliquam pertractarunt. Legendus est Cyprianus de pœnitentia, pro antiqua circa lapsos disciplina firmando. Legendus est Augustinus contra mendacium, aut de aliâ quamcumque tractet materiâ. Legendus est Ambrosius de variis Christianorum officiis. Legendus Greg. libris Moralium. Legendi demum quantum fieri potest antiqui, ut quæ fuerit eorum sententia circa propositam quæstionem, perspectum habeamus. Consulendi sunt compilatores, qui insigniorum patrum scripta in certas materias distribuentes, non aliam referunt sententiam, quam eorum Patrum quorum verba transcriperunt.

V I. P R O P O S I T I O. Sextus Christianæ Moralis fons est Theologorum scholastico-rum authoritas, non eorum qui ex sola ratione; sed eorum qui ex revelatione doctrinam morum eruunt.

Probatur. Ex his peti possunt argumenta, mores & fidem spectantia quos ipsa Ecclesia, ubi de fide & moribus agitur consultit, quorumve sententiae rationem habet, ut patet. Atqui Ecclesia Theologos scholasti-

cos, ubi de fide & moribus agitur consulit, eorumque sententiæ rationem habet: Ergo ex Theologis scholasticis peti possunt argumenta morum. Minor pater 1. Ex Concilio Viennensi ubi patres sic habent *opinionem illam* scilicet conferri parvulis gratiam habitualem in baptismo, tamquam probabiliorem & dictis sanctorum, ac doctorum modernorum Theologiæ magis consonam & concordem, sacro approbante Concilio, duximus eligendam. Clementina unica de sancta Trinitate. 2. Idem patet ex congregatiōnibus in Romana curia erectis: ubi quæstiones ad fidem & mores pertinentes operâ Theologorum consultorum ventilantur, antequam determinentur per solemne summi Pontificis judicium.

Dixi modò conclusiones suas ex fide eruant; nam Theologi, qui solam rationem, quæ corrupta est & cæcutiens, ostentant, nullatenus audiendi: de quibus ita Canus. *Qui Theologie dogmata humanis metiuntur argumentis, nec eis quæ à ratione ducuntur volunt præponderare autoritatem;* hi primum omnem vim Theologie & gravitatem amittunt, deinde faciunt ut Theologia detracti authoritate, non solum contempnatur sed ne Theologia quidem sit: nam si vera & legitima Theologia est, à fide descendit oportet; ubi hujus facultatis propriæ principia resident.... *Quamobrem satis exploratum babere possumus quam male valeant hi de re Theologica, aut scribere, aut disputare, qui facros libros, Apostolorum Traditiones, Concilio- rum dignata, juris Pontificii decreta, sancto- rum veterum Doctorum scripta, vel rejiciunt, vel ignorant.* Itaque hoc quidem opinantium

genus pellatur è medio ; est enim totum improbabile & impium , qui opinantur aptiora Theologo ea argumenta esse quæ ex ratione , quām ea quæ authoritate ducuntur . lib. 9. de locis Theol. cap. 1.

Et rursus eamdem materiam agitans . Tales inquit authores sunt abschrifti Theologi ; qui quæstiones Theologicas frivolis argumentis absolvunt , & cum in his sanctorum Bibliorum testimonia rarissima sint , Conciliorum mentio nulla , nihil ex antiquis sanctis oleant , nihil ex gravi Philosophia , Theologi tamen vocantur , nec scholastici sunt , qui sophismatum fæces in scholam inferentes , & ad risum viros doctos excitant , & delicatores ad contemptum quos ego probare , nec debeo , nec possum . lib. 8. cap. 1. ex quo patet quinam Theologi audiendi sint ; qui verò rejiciendi ; quod ut melius pateat , sit .

CONSECTARIUM I. Consulendi sunt insigniores morales Theologi : qui primas tenent , sunt D. Thomas , D. Bonaventura , D. Antoninus , D. Raymundus ; nam commendat eos . 1. Profunda in rebus divinis eruditio ut legentibus patet . 2. Commendat eos pura morum integritas , cum Ecclesia eos inter sanctos reposuerit . 3. Spectabiles facit summus , sincerus & fidelissimus veritatis amor : non enim ex contentione scripserunt ; sed ex solo veritatis affectu , ut examinant videbitur . Tales pariter sunt , sed in inferiori gradu , Cajetanus , Sylvester , Soto , Sylvius , Toletus , Comitolus , aliquique non pauci , Doctrinæ magni , ingenio insignes & moribus optimis spectabiles ; modo ipsi antiquos ,

nec spernant, nec eorum autoritatem in sensus contrarios detorqueant.

C O N S E C T A R I U M II. Consulendi sunt clariores Canonistæ, quales sunt Panormitanus, Navarrus, Covarruvias, Fagnanus, Cabasutius, ali'que non pauci; quia Canonistarum authoritas maximi est ponderis, cum in foro Ecclesiastico soleant consuli, quoties de censuris & irregularitatibus agitur ut notat Canus.

C O N S E C T A R I U M III. Magno in pretio habendum est doctrinale judicium sacræ Theologiæ Facultatum; præcipue si fuerint è numero earum universitatim quæ sunt toto orbe Christiano doctrinâ suâ venerabiles, quales sunt Lovaniensis, Duacensis, Salmanticensis; sed præsertim Parisiensis, omnium facile princeps, quæ, rerum sacrarum eruditione & purioris moralis studio, inter alias semper eminuit, quam Episcopi & ipsi summi Pontifices consulere non dignantur, cujusque opera Ecclesiæ matri numquam defuit, quoties de resellendis, tum circa fidem, tum circa mores erroribus actum est.

VII. P R O P O S I T I O. Septimus fons Moralis Christianæ est ratio naturalis.

Probatur. 1. Script. Deus in Scripturis peccatores ad conscientiam revocat juxta illud redite *prævaricatores ad Cor. Isai. c. 46. v. 8.* Ergo naturalis ratio etsi per peccatum corrupta, utiliter consuli potest, ubi de moribus agitur.

2. Ex Aug. lib. de spiritu & littera cap. 28. *Non usque; adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla*

in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde meritò dici possit, etiam in ipsa impietate vita sue facere aliqua legis vel SAPERE. Ergo ex sancto Doctore sapit aliquid ratio, etsi per peccatum corrupta, seu quædam morum principia cognoscit. Neque enim ut tradit D. Tho. 2.2. q. x. a. 4. omnino destruxta est hominis ratio, etsi per peccatum corrupta.

3. Ratione. Naturalis ratio Theologo morali ad multa utilis est. Ergo inter fontes moralis christianæ debet adnumerari. Antecedens patet percurrendo ea quæ ratio conferre potest in resolvendis casibus.

1. Supeditat communia morum principia qualia sunt isti. *Bonum est faciendum, malum est fugiendum. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris;* atque ex his morum prænotionibus certissimas conclusiones educit, quibus varia explicat hominis officia. 1. Erga Deum, cuius est creatura. 2. Erga se ipsum, cuius est custos. 3. Erga proximum, quocum necessariam habet societatem. 4. Erga rempublicam, cuius est membrum; & suggerit, quod homo debeat Deo, cultum; sibi, curam mentis & corporis; proximo, benevolentiam; & reipublicæ obsequium.

2. Ratio naturalis ex principiis revelatis conclusiones eruit, quibus manifestat varia hominis christiani officia. 1. Erga Deum cuius filius est per adoptionem. 2. Erga Christum cuius est *Acquisitio* per ejus mortem; ut loquitur Petrus. 3. Erga alios homines quibus est in æternum sociandus per gloriam. 4. Erga Ecclesiam cuius est & filii. §

& membrum per baptismum : & infert quod christianus Deo debeat honorem & amorem, quia Pater ; Christo gratiarum actionem, quia redemptor ; proximo dilectionem, quia frater ; Ecclesiæ verò obedientiam, quia mater.

3. Circa remotas conclusiones, in quibus variant Theologorum sententiæ, rationis est perpendere, quid morum præceptis sive naturalibus sive revelatis magis cohæreat. Quod quidem quomodo fieri debeat, caput sequens explicabit.

C A P U T I I .

Quomodo prædictis Moralis Christianæ principiis utendum sit.

CUm prædicti Moralis Christianæ fontes æqualis authoritatis non sint. Quo ordine, quâ cautione adhibendi, sint explicandum sequitur : quod quidem Regulæ subsequentes aperient.

Regula i. Ubi quæstio Moralis solvi potest per expressam revelationem , Standum est revelationi , quidquid in contrarium suggerat humana ratio. Revelatio siquidem certissimam morum regulam continet , cum infallibili Dei Verbo nitatur ; ratio verò humana errori est obnoxia , ut dictum est superificuti enim Deus verax , ita omnis hominemendax. Juxta illud Pauli ad Rom. 3. v. 4. *Est autem Deus verax: omnis autem homo mendax.*

Sic inimicorum dilectio , necessitas ferendi crucem , castigandi corpus, vim continuam

sibi inferendi, & alia similia quantumvis humanae naturae dura videantur ; humili tamen mentis obsequio excipienda sunt, quia scilicet expresse ea tradit revelatio.

Regula 2. Ubi quæstio proposita ex revelationis principiis, per necessariam demonstrationem, definiri potest ; Standum est hujusmodi demonstrationi , quidquid etiam in contrarium suggerat hominis ratio affectibus obcæcata. Propositio Siquidem , quæ ex propositione revelata necessariò sequitur , irrefragabilis est authoritatis : *Hoc enim genus conclusionum, ut cum rebus fidei colligatum, ad fidem etiam spectat,* ut ait Canus. lib. 12. de locis Theolog. cap. 6.

Sic cum ex eo Christi, gratis accepisti, gratis date, aperte & evidenter sequatur, non posse res spirituales sub commercium cadere ; illicita censeri debent pasta omnia , quibus temporale exigitur pro collatione rei spirituali, quidquid in contrarium excogitarit humana cupiditas, ut Divinæ legis vim eluderet.

Regula 3. Ubi quæstio Moralis neque per expressum Dei verbum , neque per necessariam ex Revelatione demonstrationem, definiri potest ; Audiendi hi sunt , penes quos est in Ecclesia docendi , simul & imperandi potestas , si quid super ea quæstione definierint ; hi enim proprius ad Revelationem accedunt. Etenim cum à Deo in Ecclesia constituti sint, ut germanum scripturæ & Traditionis sensum aperiant , consulendi sunt ubi manifesti non est Revelatio , juxta illud Malachij 2. v. 7. *Labia enim Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore ejus:*

quia Angelus Domini exercituum est. Deinde cum authoritate polleant imperandi , jus habent ferendi leges , quæ in conscientia ligant , & quibus parere debemus juxta illud Christi. *Luc. i. v. 16.* *Qui vos audit , me audit :* & *qui vos spernit , me spernit ; qui autem spernit me , spernit cum qui me misit :* & juxta illud Pauli , *obedite præpositis vestris , & sub jacete eis.* *Hæb. 13. v. 17.* Ex quo patet quod universa Diœcesis Episcopali judicio , multoque magis Diœcesanæ Synodo; integra Provincia, Provinciali Concilio; totum Regnum, nationali, subesse debet , & universi fideles , solemni summi Pontificis determinationi ; hi enim omnes potestatem à Deo acceperunt doendi simul & imperandi.

Regula 4. Ubi quæstio Moralis neque per Revelationem expressam , neque per necessariam ex Revelatione demonstrationem , neque per ulla superiorum Decreta, definiri potest , eos oportet consulere qui sunt in Ecclesia tum antiquitate , tum doctrina , tum pietate , præstantiores ; habent enim ab antiquitate quod testes sint & custodes divinæ Traditionis ; à doctrina quod sint divinæ Revelationis interpres , à pietate quod ab humanis affectibus in constituendis morum regulis liberi fuerint. Ex quo patet , quod , cum major & senior antiquorum Patrum & Theologorum pars , in aliquod morum dogma consentit ei adhærendum sit. Unde etiam meritò à Clero Gallicano damnata est sequens propositio.... *doctrina fidei à veteribus : doctrina morum magis à junioribus pe tenda.* Quippe ut ait Job 12. *In antiquis*

est sapientia, & in multo tempore prudentia. Et ut ait Celestinus i. Epis. i. Desinat incessere novitas vetustatem. Et Zozimus, apud nos christianos inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui decreta patrum sanxere reverentiam.

Regula 5. Ubi circa quæstionem moralem patres patribus adversantur, Theologi insignes alii alia tradunt, celebriores Canonistæ & Juristæ diversa opinantur, tunc rationis est quæstionem definire; sed magna cautione opus est.

Ac 1. quidem requiritur, ut res ex pravis nostris affectibus non judicemus; nihil enim inveniendæ veritati magis contrarium, quam cor affectibus præpeditum: quidquid enim amamus, id Sanctum nobis est, ut ait Aug. Hoc est amores nostros, quamvis illicitos, innocios tamen existimamus; quia scilicet, ut fert vulgare effatum, prout quisque est affectus, ita judicat: vel ut sanctius loquar, oculus nequam totum corpus tenebrosum efficit.

Sic ebrietatem excusant vinolenti, libides impudici, nec rectè judicant de divinæ vocationis necessitate ambitiosi, aut de bonorum Ecclesiasticorum dispensatione avari Beneficiarii.

2. Requiritur, ut partium studiis non abripiamur, quibus sit, ut quisquis pro suscep-tis sive jure, sive injuriâ semel partibus, veritatem stare pertinaciter tueatur; eaque omnia respuat ut falsa, quæ contra sentiunt aliarum partium defensores; duo enim ut benc monet. Aug. lib. 2. de Trin. cap. 1. sunt via inimica inventioni veritatis, scilicet, præsumtio prius quam veritas pateat, & cum jam

26 MORALIS CHRISTIANA.

: patuerit, præsumtæ defensio falsitatis.

3. Requiritur, ut mediæ, quantum fieri potest inter laxiores & rigidiores opiniones viâ incedamus: sicuti enim non sine scelere aggravari potest Christi jugum, quod ipse Dominus dulce esse pronuntiat; ita nec sine crimine dilatari potest paradisi via, quam Evangelium angustam declarat. Nec minus hi damnandi sunt, qui contra Christi præceptum onera imponunt importabilia, quam qui pristinum disciplinæ frænum solventes considunt pulvillo sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ carnis quare utrosque maledictis insectatur Isaïas cap. 5. v. 20. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum,*, & sapienter monet D. Bonavent. lib. 2. compend. Theol. cap. 52. *Cavendum esse conscientiam nimis largam & nimis strictam*, nam prima, inquit, generat præceptionem, secunda desperationem; item prima sepe dicit malum bonum, secunda è contra bonum malum; item prima salvat damnandum, secunda è contra damnat salvandum.

4. Requiritur, ut in illa opinionum ambiguitate quid proprius ad revelationem accedit diligenter inquiramus, eique parti religiosè adhæreamus, quæ magis legi favere videbitur; utque in dubiis ubi *æqualia utrinque animo* sese offerunt rationum momenta, sequamur id quod tutius, sive quod est eo in casu unicè tutum, ut sapienter monet Clerus Gallicanus an. 1700, de opinionum probabilitum usu. Verum de his fusiùs, ubi de probabilitate.

Conclusio hujusce Tractatus.

Ex his , quæ in hoc primo tractatu explicimus, intelligi facilé potest , veram Christianæ Moralis idæam hac definitione continet.

Moralis Christiana est Doctrina quæ , vel per revelationem proponitur , vel ex revelatione , quantum fieri potest , educitur : quâ doce- mur quid agendum , quid non agendum , ut salutem æternam consequamur. Morum enim præcepta quæ tradit , non ex ratione per peccatum corrupta ; sed ex revelatione , quantum fieri potest , eruit ; ut in hoc primo tractatu ostendimus.



TRACTATUS SECUNDUS.

De objecto Moralis Christianæ.

Moralis Christiana tota eò tendit , ut nos ad eam fœlicitatem , quæ nobis in cœlis promittitur , quæque una est hominis beatitudo , nos deducat ; unde circa ea media tota versatur , quibus ea fœlicitas vel comparari potest , vel amitti : Cum autem ea media in his actibus posita sint , qui sunt in homine capaces bonitatis & malitiæ , & digni præmio , vel poena ; ideo ut certa cum methodo Christianæ Moralis objectum explicemus , statuemus 1. Quinam actus in homine bonitatis & malitiæ capaces sint , seu quid eos , ut aiunt , mōræs efficiat. 2. Quinam sint boni , quinam mali , seu unde eis

adveniat bonitas & malitia. 3. Denique, cum inter ipsos actus & bonos & malos, varia occurant discrimina scitu omnino nec faria, neque omnibus virtutibus & omnibus vitiis idem insit bonitatis & malitiæ gradus, ostendemus quomodo boni actus à bonis, mali à malis inter se secernantur; seu unde petatur eorum distinctio, & inæqualitas. Sic enim, & morales actus à non moralibus, & bonos à malis, & utrosque id est, & bonos, & malos ab invicem facile distinguemus.

C A P U T I.

Quinam actus in homine morales sint, seu capaces bonitatis & malitiæ.

ADvertendum hominem agere aliquando cum cognitione, aliquando sine cognitione; aliquando cum libertate, aliquando sine libertate.

Tunc homo agit cum cognitione, quando advertit ad ea quæ facit; agit vero sine cognitione, quando ad suos actus nec *actualiter*, nec *virtualiter* attendit.

Tunc homo agit cum libertate, quando ita operatur, ut possit non operari si velit; tunc vero agit sine libertate quando ita operatur, ut non possit abstinere ab actione. His observatis sit.

I. PROPOSITIO. Soli actus qui fiunt cum cognitione & libertate sunt objectum Moralis Christianæ seu capaces sunt bonitatis & malitiæ, digni præmio, vel poena.

Probatur i. Script. simul & Ratione. Quando homo agit sine cognitione & advertentiâ rationis, agit ut bruta, de quibus ait Ber-

nardus serm. 81. *sensu aguntur, feruntur imperii, rapiuntur appetitu*: ergo tunc non magis laude, aut vituperio dignus est homo, quam ipsa bruta; unde ait scriptura, *scienti bonum facere & non scienti peccatum est illi*, Jacob. 4. v. 17. indicans cognitionem ad peccatum esse necessariam, & proinde ad actum moralem, & Greg. lib. 27. moral. cap. 16. ait. *ad judicium pro actione cur venit, si potuit nescire quod egit*. Pro certo habens non peccari sine cognitione.

Quando vero homo agit necessariò, tunc non est dominus sui actus: ergo nec meretur laudem, nec vituperium, nec præmium, nec pœnam; *nemo enim*, ut ait August. *vixi perandus*, nec proinde laudandus, *in eo quod vitare non potest*. unde ait Script. *Beatus vir, qui potuit transgredi, & non est transgressor*; facere mala, & non fecit. Eccles. 51. v. 10. nimis aperte indicans ad meritum, ac proinde & demeritum requiri libertatem seu potentiam agendi, & non agendi.

II. Ex D. Thom. 2.2.q.154 a.5. in corp. ubi sibi habet sublato *judicio rationis tollitur ratio peccati*, & proinde ratio virtutis, quia utriusque pars est causa: idem Doctor 1.2. quest. 75 art.2. in corp. ad humanum actum duo requirit, *rationem scilicet advertentem, & voluntatem libere operantem*. Et quest. 6. de malo, art. unius. In corp. declarat hæreticam eam opinionem, quæ tuctur hominem agere liberè, licet agat necessariò, modò spontè operetur; *haec enim opinio*, inquit, *tollit rationem meriti, & demeriti; non enim videtur esse meritorium, vel demeritorium, quod aliquis sic ex ne-*

cessitate agat; quod vitari non possit. Ergo ut actio sit moralis, debet fieri cum cognitione & libertate.

III. Ex summis Pontificibus, qui ad meritum vel demeritum eam exigunt & cognitionem, & libertatem, qua possimus agere, vel non agere: quippe Pius V. & Greg. XIII. & Urban. VIII. damnarunt hanc Baii propositionem, *quod voluntarie fit, etiam si necessitate fiat, liberè tamen fit*, & Innocentius X. hanc proscriptis Jansenii propositionem, *ad merendum, vel demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate; sed sufficit immunitas à coac- tione*; ergo hi soli actus sunt morales, qui fiunt cum cognitione, id est cum advertentia & cum libertate, seu cum potentia agendi vel non agendi.

CONSECTARIUM. I. Ex eo quod ad meritum, vel demeritum advertentia rationis requiratur, colligi facile potest, sequentes actus non esse morales, seu bonitatis & malitiæ capaces. 1. Actus qui fiunt ab infante ante usum rationis, ab amente, à dormiente, à phrenetico, ab ebrio, cuius ebrietas est omnino involuntaria. 2. Actus qui fiunt ex subitis passionibus omnino involuntariis, & omnem usum rationis absorventibus, v. g. ex metu gravi, & vehementi rationem omnino perturbante, aut ex subito vita amore, usumque rationis præveniente, dum vita derepente violenter impetratur. 3. Actus qui fiunt ex ignorantia planè involuntaria v. g. actio hominis qui adhibita prudenti cautione & diligentia ne ex-

tet, occidit hominem putans bona fide occidere feram: omnes enim prædicti actus fiunt sine advertentia rationis.

C O N S E C T A R I U M . II. Ex eo quod libertas quā possimus agere, vel non agere ad meritum, vel demeritum requiratur, intellegi etiam facile potest, sequentes actus non esse morales. 1. Actus qui fiunt violenter, & coacte v. g. actus qui fiunt ab externis membris ex violentia planè involuntaria abreptis, putā motus quo homo trahitur ad idolum invitus, & apprehensā & ligatā ejus manu, *sine propria voluntate*, ut loquitur Aug. aut thus adolet, aut aliquid falsum scribit. Item passio quā quis stupro viō'ento corruimpitur. 2. Actus qui fiunt in nobis omnino necessario v. g. omnes motus tam spirituales quām carnales quantumvis inordinati, quibus fortiter resistimus, & quibus aliunde occasionem voluntariè non dedimus, puta motus odii contra charitatem, infidelitatis contra fidem &c. Motus luxuriæ, contra castitatem, gulæ, contra sobrietatem &c. Tametsi eos sentiamus, modò non consentiamus, non sunt morales; omnes enim prædicti actus fiunt sine libertate, id est sine potentia agendi, vel non agendi.

I I. P R O P O S I T I O. Etsi ad actum moralem requiratur cognitio & libertas; tamen ad demeritum non requiritur semper advertentia aut libertas actualis; sed sufficit ea advertentia & libertas: quæ virtualis dicitur, id est, ea advertentia, quam homo potuerit & debuerit habere: ea libertas, quā quid electum fuerit in causa per actum priorem.

Hæc nostra propositio extra dubium omne est posita, cum Jan. 1658. à sede Apostolica damnata sit sequens propositio, ut videre est in Bullario. *Sine libertatis usu peccatum non est; nec liberè vitatur peccatum, nisi ab eo qui novit peccatum, quod menti proponitur; sed tamen cum gravissimi sit momenti, & ex ea pen-deant consecaria scitu omnino digna, eam per partes more solito probabimus.*

Probatur igitur prima pars, scilicet quod ad demeritum sufficiat ea advertentia quam homo potuerit & debuerit habere.

1. Certum est ex Scripturis & traditione dari peccata ignorantiae, ut infra ostendemus, ubi de ignorantia. Atqui in peccatis ignorantiae non occurrit advertentia actualis, ut patet, ergo certum pariter est, ad demeritum non requiri semper advertentiam actualem.

2. Ex D. Thom. 1. 2. q. 76. a. 2. ad 3. negligencia scientiae, vel etiam ipsa inconsideratio, si voluntaria fuerit, est peccatum, & q. 74. a. 5. in corp. Tunc inquitur ei, id est homini ad peccatum, quando habet ignorantiam, vel errorum circa id quod potest, & debet scire. Unde Antoninus tanti Doctoris discipulus ait: potens, & dbens advertere, & non advertens peccat.

3. Authoritate facultatis Theologiae Parisiensis, quæ quidem an. 1641. de hac propositione: *numquam peccatur nisi prævia peccati cognitione animus illustretur, ejusque vi-tandi desiderio exsimuletur, hocce tulit ex unanimi Magistrorum consensu doctrinale judicium. Falsa est, & vijam aperit ad excusan-*

*das excusationes in peccatis. Quod judicium
confirmatum ~~est~~ auctoritate plurimorum Episcoporum.*

4. Ratione. Ex communi prudentum hominum aestimatione, solent ii rei judicari, qui per inadvertentiam aliquid contra legem commiserunt; quando potuerunt & debuerunt advertere: neque enim, ut vulgare fert effatum, *sapiens est dicere, non putabam.*

CONSECTARIUM. I. Rei sunt, qui violent legem naturalem in cordibus scriptam, & eorum mentibus obviam; licet ad eam ex negligentia non attendant: quibus merito dici potest cum scripture, *redite prævaricatores ad cor.* Isai. 46. v. 8 Sic Paulus inexcusabiles pronuntiat Gentiles Philosophos. *Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratas egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum* ad Rom. 1. v. 21.

CONSECTARIUM. II. Rei sunt qui legem positivam infringunt, quam, vel ex segnitie, vel ex malitia cognoscere noluerunt; illis enim convenit illud Psalmistæ, qui de injusto ait. *Noluit intelligere, ut bene ageret.* Psal. 35. v. 4 Sic non culpâ vacant qui præcepta ecclesiastica cognoscere negligentes, non abstinent à carnibus, non jejunant, non adsunt missæ sacrificio, cum Ecclesia præcipit.

CONSECTARIUM. III. Rei sunt peccatores inveterati, quoties ex pravâ consuetudine iniquè agunt; licet, præ assiduitate peccandi, omnem rationis aciem, cordisque sensum sic obtuderint, sic hebetarint, ut ad

Peccati malitiām actu non advertant, dum peccant, nullumque conscientiæ morsum experiantur; sed ut bruta animantia in flagitia vel gravissima plerumque ruant, atque ut loquitur Scriptura, *scelus ipsum ut aquam ebibant*. Unde meritò à Clero Gallicano an. 1700. proscripta est sequens propositio art. 26. *Si peccatores consummatæ malitiæ; cum blasphemant, & flagitiis sese immergunt, non habent conscientiæ stimulos, nec mali quod agunt notitiam, cum omnibus Theologis propagno, eos hisce actionibus non peccare.*

Probatur 2. pars, quod scilicet ad peccatum sufficiat libertas virtualis, seu ea libertas quā quid voluntarium est in causā ratione actus præteriti.

1. Certum est ex D. Thom. I. 2. q. 77. art. 7. in corp. & lib. 3. contra gentes cap. 160. *Ebrium non excusari ab homicidio quod per ebrietatem voluntariam committit. Atqui tamen ebrius libertate actuali non utitur; ergo actuale libertatis exercitium ad demeritum non semper requiritur.*

2. Ex Aug. de perfectione justitiae hominis cap. 6. *Peccatum est, cum vel non est charitas, quæ esse debet, vel minor est, quam debet: sive hoc voluntate vitari possit, sive non possit; quia si potest, præsens voluntas hoc facit; si autem non potest, preterita voluntas hoc fecit: ergo libertas præterita seu virtualis sufficit ad peccatum.*

3. Quando unum sequitur ex alio; vel ut præviūm, sicut aliquando ex ebrietate sequitur blasphemia; vel ut per se connexūm, sicut ex ebrietate sequitur perturbatio men-

tis : tunc qui vult unum censeretur velle & aliud , ut passim docet D. Thom. ergo actus quo quis vult causam est voluntarius , non solum pro causa ; sed etiam pro effectu ; ac proinde ad demeritum sufficit libertas virtualis , quæ effectus in causa eligitur. Ex quo sequentes regulæ colligi possunt.

C O N S E C T A R I U M . I. Qui liberè rem vetitam amplectitur , vel præceptam omittit , hujusmodi commissionis , vel omissionis nedum reus est ; sed etiam eorum omnium , quæ hinc per se consequi solent ; vel etiam per accidens , cum prævisa fuerunt : quamvis , dum in hæc consequentia prolabitur , libertate actuali non utatur.

Sic ille qui , quoties vino , aut cibo se ingurgitat , irâ solet ex scandescere , libidinis motus experiri , vel turpia in se admittere ; reus est non solum intemperantiae ; sed etiam iræ , & luxuriaz ; licet in ebrietate libertate actuali non utatur.

Sic qui rei sibi commissæ curam notabiliter negligunt , v. g. pastor ovium , procurator administrationis , rei sunt non solum negligentiae ; sed etiam damni , quod ex ea , vel contra ipsorum voluntatem , consequitur.

C O N S E C T A R I U M . II. Qui liberè occasione sese exponit , quæ secum , quasi quædam connexione necessariâ , peccatum trahit ; vel ex se , vel ex virtio illius qui periculum adit ; reus est peccati quod ex hujusmodi occasione sequitur ; licet dum actu peccat necessitate , ut ajunt , *morali* se trahi sentiat , neque sui compos videatur ; qui

36. MORALIS CHRISTIANA.
enim vult causam, ea etiam censendus est
velle, quæ ex causa necessariò consequuntur.

Sic qui ea loca adeunt, putà meriticia,
theatra impudica, in quibus vix pudicitia
stare potest, rei sunt, & occasionis malæ
quam adeunt, & libidinum quibus in hu-
jusmodi locis abripiuntur.

Sic, qui ex proprio experimento compet-
tum habet, quod quoties popinam adit,
aleas frequentat; vel vino rationem obruit;
vel blasphemias evomit, reus est, & ebrie-
tatis, & blasphemiae; licet occasione invi-
tum se trahi causetur. Quia scilicet eam li-
berè adiit & in hujusmodi occasionibus spe-
rare victoriam, non est spes, sed presump-
tio: *Qui enī amat periculum in illo peribit.*
Eccles. 3. v. 27.

CONSECTARIUM III. Rei sunt qui,
pravis cordis sui desideriis liberè se traden-
do, concupiscentiæ dominium sic in seip-
sis obfirmarunt: ut eis (quod sæpè clami-
tant quærentes excusationes in peccatis)
jam amplius liberum non sit à peccando
abstinere; sed, quod & aiunt, affectuum in-
potentium vi, quasi quodam impetu necel-
sario, in scelus abripiantur. Si quæ enim
tunc occurrit ad peccandum moralis necel-
sitas: *Eam præterita voluntas liberam fecit*
ut ex Aug. dictum est. Eaque est, ut asserit
idem Doctor, *Illiū peccati pœna quod nulla*
necessitate commissum est, lib. 1. operis imper-
fecti contra Julian. cap. 105. atque tunc il-
lud evenit quod ait Bernard. serm. 81. in
cant. *Ut nec necessitas, cum voluntaria sit,*
excusare valat voluntatem, nec voluntas,

cum

cum sit illecta , excludere necessitatem ; est enim necessitas hæc , moralis , quodammodo voluntaria , imò juxta D. Thom. 1. 2. q. 73. art. 6. ad 2. ubi est major concupiscentia , voluntaria ibi est majus peccatum , De quo fusiùs infra , ubi dicemus quandonam passio excusat , minuat , aut aggravet peccatum.

M O N I T U M. Non tamen hinc peccatores , quantumvis obdurati , desperationis causam arripant , sed potius operam omnem in eo ponant , ut ferreas solvant peccati catenas , quas propria voluntate sibi nexuerunt. Quantumcumque enim inpotentes sibi videantur ad resistendum pravis habitibus , quos contraxerunt , numquam tamen adest *physica* peccandi necessitas , & si quæ forte *moralis* occurrat , ea facile ab eo pelli potest , cuius *gratia* , ut loquitur Aug. de pradest. Sanctorum cap. 6. à nullo duro corde respinatur , cum ideo detur , ut *duritia cordis penitus auferatur*. Gratiam igitur & votis & gemitibus , & sollicitis precibus ab eo postulent , qui dat spiritum bonum petentibus se , & ipsis etiam obsecatis lucem suam penitus non subtrahit , quandiu sunt in hac vita , ut docet Aug. Enar. in Psal. 6.

Quæres utrum sicuti ad demeritum , ita ad meritum , sufficiat virtualis , tum attentionio , tum libertas.

Respondeo 1. affirmativè. Quod ad virtualem attentionem attinet ; qui enim cœpit opus aliquod bonum attentus , etsi dum opus cœptum persequitur , ejus animus involuntariè aliò distrahitur ; mereri non desinit , ut docet D. Thom. 2. 2. q. 83. a. 13. in

corp. ubi sic loquitur. *Primus quidem effectus, orationis & communis omnibus actibus charitate informati, est mereri; & ad hunc effectum, non ex necessitate requiritur, quod attention ad sit orationi per totam orationem meritariam, sicut in aliis meritorii actibus accidit.*

Respondeo 2. Quod ad libertatem virtutalem attinet, quæstionem videri omnino metaphysicam, quæ nescio, an in praxi contingere possit.

C A P U T I I .

*Quinam actus morales sint boni, quinam mali,
seu unde petatur actuum humanorum bonitas & malitia.*

Certum est, bonitatem & malitiam actuum humanorum peti ex conformitate, aut disformitate cum regulis morum: sicuti enim, actus boni nomine, nihil aliud intelligitur, quam ille, qui conformis est regulis morum; ita & maius in eo positus est, quod cum eisdem regulis pugnet, cum autem manus actus regulis morum possit convenire, vel ratione objecti, circa quod versatur; vel ratione finis, qui intenditur; vel ratione circumstantiarum, quæ eum comitantur: In hoc secundo capite explicabimus quomodo actus humanus cum lege, seu cum regulis morum consentire debeat, ut bonus sit; quomodo vero ab eisdem dissentire, ut malus habeatur. Sed prius explicandum quid objecti quid finis quid circumstantiarum nomine intelligatur.

Observa igitur omnem actum humanum necessariò versari circa *aliquid*, fieri propter *aliquid*, & certis quibusdam *adjunctis* accidentaliter modificari.

Id circa quod actus versatur vocatur *objectum* illius; amor v. g. habet pro objecto *id* circa quod versatur, putà, vel Deum, vel creaturas, vel nos ipsos, vel alios.

Id propter quod fit actus humanus, vocatur illius *finis*, qui duplex est, alter *finis operis*, alter *finis operariis*.

Finis operis, qui & intrinsecus dicitur, est *id*, ad quod opus ex naturâ suâ ordinatur, v. g. sublevatio alienæ miseriæ est finis intrinsecus eleemosinæ; quia ad illud eleemosina ex sua natura ordinatur.

Finis operantis, qui & extrinsecus dicitur, est *id* quod operans pro arbitrio sibi proponit, v. g. vana gloria est finis jejunii, & cleemosinæ in hypocritâ; quia ad hoc nec jejunium nec eleemosina ordinantur; sed solum ex arbitrio operantis.

Adjuncta denique, quibus accidentaliter modificatur actus humanus, circumstantiae nominantur, eaque hoc versiculo continentur.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Quis denotat accidentariam qualitatem operantis, putà quod operans sit, Clericus, vel Laicus, Religiosus, vel Sæcularis, persona publica, vel privata.

Quid denotat accidentariam objecti qualitatem, vel quantitatem; putà quod res ablata sit Sacra, vel profana; parvi, vel magni pretii: Item denotat qualitatem per-

sonæ, contra quam peccatur, putà quod persona offensa sit privata vel publica, sacra vel profana, demum *quia* denotat effectus pravos, qui ex peccato consequuntur.

Vbi denotat accidentariam loci conditio-
nem, putà, si locus est publicus, vel pri-
vatus; sacer, vel profanus.

Quibus auxiliis denotat accidentaria me-
dia, quibus operans utitur ad assequendum fi-
nem, v. g. si ad exequendam vindictam uta-
tur opere humana, vel diabolica; ferro, vel
veneno.

Cur non denotat finem *operis*, & intrinse-
cum; quia idem est ac objectum; sed deno-
tat finem *operantis* & extrinsecum, quem
operans sibi pro arbitrio proponit, putà si
studeat lucri causâ; si oret ob vanam glo-
riam.

Quomodo denotat accidentarios actus hu-
mani modos, putà si fiat plena, vel semiple-
na deliberatione, coram pluribus, vel pau-
cis, cum scandalo, vel absque scandalo;
cum contemptu, vel absque contemptu legis.

Quando denotat accidentariam temporis
quantitatatem, vel qualitatem, putà si quod
sit, vel omittitur, eveniat, vel tempore sa-
cro, vel non sacro, tempore Missæ, jejunii,
vel alio tempore: si opus tum bonum, tum
malum, diu, aut pauluhū duraverit.

I. PROPOSITIO. Ut actus humanus
sit bonus, requiritur ut conveniat cum le-
ge, seu cum regulis morum, & ratione ob-
jecti, & ratione finis, & ratione circumstan-
tiarum: ut autem sit malus sufficit, quod
repugnet legi, seu regulis morum, vel ratio-

ne objecti , vel ratione finis , vel ratione circumstantiarum ; & non ratione omnium simul.

Probatur autoritate Scripturarum.

1. Scriptura damnat eos actus , qui objecta habent contraria Legi , seu regulis morum , putà perjurium , furtum , adulterium , homicidium , & alia hujusmodi , de quibus Paulus ait , quod , *qui talia agunt regnum Dei non consequentur*.

2. Eadem Scriptura reprobat eos actus , qui licet boni sint ex objecto , carent tamen debito fine , quales sunt , eleemosina , & oratio dum fiunt ob vanam gloriam , ut docet Christus . Math. 7. v. 1. Afferens de hujusmodi hypocritis , *quod receperunt mercedem suam*.

3. Scriptura quoque eos actus vituperat , qui licet ex objecto & fine malitiam non habeant , ex aliquâ tamen circumstantiâ vitiантur , ut patet ex facto Petri cum Judæis judaisantibus , seu ceremonias Legis observantibus . Cui quidem Paulus in faciem restitit , quia *reprehensibilis erat* : etenim factum illud Petri , neque ex objecto , neque ex fine ; sed ex circumstantiis solum vitiosum erat . Ex objecto quidem pravum non erat , cum ceremoniae legales nondum essent mortiferæ ; non etiam ratione finis , cum Judæorum salutem Petrus sibi proponeret ; sed erat reprehensibile ratione circumstantiarum ; quia hujusmodi legalism observatio in his fiebat locorum , & temporum circumstantiis , quibus Petrus cogebat gentes judaïsare , ut ait Paul. ad Galat. 2. v. ii. Ergo ut actus sit

bonus requiritur, ut regulis morum conveniat, tum ratione objecti, tum ratione finis, tum ratione circumstantiarum: ut vero sit malus, sufficit quod in uno tantum deficiat.

Probatur 2. Ex D. Thom. I. 2. q. 18. a. 9. in corp. actus moralis non solum habet bonitatem ex objecto, à quo habet speciem; sed etiam ex circumstantiis, inter quas ex sancto Doctori finis præcipue locum tener: Ergo ut actus moralis sit bonus, debet esse conformis Legi, & ratione objecti, & ratione finis, & ratione circumstantiarum.

Probatur 3. ratione. Ea est boni natura, ut sine omnium perfectionum sibi debitarum concursu non constet; sed in malum degeneret, si vel in uno tantum deficiat: sic in Physicis corpus v. g. humanum vitiosum dicitur, si careat membro debito, putà oculo, pede; sic etiam in artefactis, tabella v. g. vittiosa censetur, si, vel in coloribus, vel in lineamentis peccet; ergo & in moralibus bonitas actus non nisi ex omnium perfectionum sibi debitarum concursu exurgit; malitia vero ex quocumque defectu: unde celebre illud, quod ex Dyonisio refert sanctus Thom. Bonum ex integrâ causâ, malum autem ex singularibus defectibus. Dyon. de div. nom. cap. 4.

CONSEQUENTIUM I. Hinc patet in resolvendis casibus comparandos esse actus humanos cum regulis morum, tum ratione objecti, quod eligitur; tum ratione finis, qui intenditur; tum ratione circumstantiarum, quæ actuū comitantur; & eos tantum bonos esse judicandos, qui undique cum illis con-

sentient; malos verò esse habendos, qui cum iisdem, vel ex uno tantum capite pugnabunt.

Sic jejunium Judæorum de quo Isaïas cap. 58. v. 3. licet bonum esset ex objecto, reprobatum tamen fuit à Deo, ratione intentionis pravæ. *Ecce, inquit, ad lites, & contentiones jejunatis.* Id est ut vacetis instruendis litibus, quibus proximos opprimatis.

Sic factum Loth offerentis filias suas, quibus Sodomitæ abuterentur, potius quam infandum crimen contra naturam committerent; licet bonum appareret ex intentione, vitiosum tamen erat ex objecto; quia fornicatio est ex se mala.

Sic zelus Pauli Legem Mosaïcam defendentis, licet bonus esset ex objecto, quia Lex quam tuebatur erat sancta, juxta illud, *Lex quidem sancta, mandatum justum & bonum*, vituperabilis tamen erat ex circumstantiis. 1. *Quidem ex tempore;* quia legem æmulabatur eo tempore quo erat interitura. 2. *Ex modo;* quia ardenter erat paternarum traditionum æmulator.

Sic communia vitæ Christianæ exercitia, putâ, celebratio Festorum, observantia jejuniorum, preces, tum privatæ, tum publicæ sine merito sunt apud Deum, si, aut pravo fine, aut vitiosis circumstantiis inficiantur; quam ob causam reprobat Deus apud Isaïam sacrificia Judæorum. *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum dicit Dominus.* cap. 1. v. 11. In quam sententiam ait Greg. in Luc. II. v. 34. *Cum perversa intentione quid vel rectum agitur; et si splendescere coram homini.*

*bus cernitur; apud examen interni judicis obser-
curatur.*

CONSECTARIUM II. Hinc etiam patet nulla intentionis *directione*, quantumvis ea honesta, aut Christiana appareat, excusari penitus posse, quæ, aut ex objecto, aut ex circumstantiis constat esse mala; 1°. *Enim ut modò diximus. Bonum ex integrâ causâ, malum ex quocumque defectu.* 2. Illa mentis, seu intentionis *directio* nihil in objectis immutat, nec efficere potest, ut quod legi contrarium est, legi non aduersetur. Unde Clerus Gallicanus in sua censura an. 1700. art. 15. illam mentis *directionem fal-
lacem nominat*; quâ scilicet mutantur tantum nomina criminum, non tolluntur. 3. Si, quæ constat esse mala, excusaret intentio recta; nihil erit *lege prohibitum*, quod licetè, imò rectè, ut ait Aug. fieri non possit. *Quod enim*, ait ille Doctor lib. contra Mend. cap. 7. *sceleratissimum facinus, quod turpissi-
mum flagitium? quod impiissimum sacrilegium
non dicatur posse fieri rectè atque justè, nec
impunè tantum, verum etiam gloriose... si se-
met concesserimus in omnibus malis operibus ho-
minum ideo non quid fiat; sed quare fiat esse
quærendum.* Unde ibidem sanctus Doctor ut firmissimum dogma proponit. *Ea quæ constat
esse peccata, nullo causæ obtentu, nullo quasi
bono fine, nulla velut bona intentione facienda
sunt.*

Sic, et si generatum honestum & licitum sit, conservare vitam, tueri honorem, jus suum persequi, rem augere; non tamen licetum est, aut idolis thus adolere, ut vi-

tam conserves ; aut calumniatorem occidere , ut honorem tuearis ; aut abortum procurare , ne infameris ; vel alicui falsum crimine imponere , ut justitiam tuam defendas ; aut usuras exigere , ut ditior evadas . Idololatria enim , cædes quæ fit privata authoritate , calumnia , usura , ex suâpte naturâ sunt mala ; ut nos suis locis dicemus , ubi etiam damnatas hac in parte propositiones referemus .

Sic , etsi Christianum sit pauperibus opitulari , templa construere vel reficere , Ecclesiæ ministrare , innocentes ab injusta vexatione eripere , piis bona temporalia procurare , qui Christianè his usuri sunt : Non tamen licet , aut surari divitibus , ut des eleemosinam pauperibus ; aut opes per fas & nefas congerere , ut Ecclesiæ construantur ; aut simonia tibi ad beneficium viam parare , ut Ecclesiæ deinde ministres & fidelium saluti incumbas ; aut falsum testimonium proferre , ut non damnetur innocens , injustâ sententiâ moriturus ; aut denique falsa testamenta supponere , vel vera supprimere , ut obveniat dignis hereditas , à quibus , ut loquitur Aug. loco citato , *esurientes pascuntur , nudi vestiuntur , peregrini suscipiuntur , captivi redimuntur , Ecclesiæ construuntur* ; hæc enim per se & suâpte naturâ sunt mala , neque , ut ait Paulus , *facienda sunt mala , ut inde veniant bona* .

Sic , etsi honestum sit , mutuis visitationibus , colloquiisve , cum cognatis , cum amicis , cum vicinis civilem societatem fore : Licitum tamen non est , reddendis hujusmodi vitæ civilis officiis vacare , in

his circumstantiis in quibus Christianæ vitæ officia aliò nos vocant.

Sic, et si Christianum sit, proximum per correctionem fraternalm ad resipiscientiam vocare, in Ecclesia orationes fundere; tamen & vitiosa correctio, si fiat his in circumstantiis, in quibus nocitura potius, quam profutura prævidetur; nec vitio caret oratio, quæ per longum tempus in Ecclesia protrahitur, dum res domesticæ, quæ dilationem non patiuntur, domum vocant.

M O N I T U M. Dixi intentionem quantumvis rectam non excusare in his quæ *consistat esse mala.*

1. *Quia*, ubi adest ignorantia invincibilis, recta operantis intentio excusare potest, quod quidem inferius explicabimus, ubi de ignorantia.

2. *Quia* operantis finis, si rectus sit, operantem nedium excusat à peccato, in his quæ secundum speciem sunt indifferentia; sed etiam efficit, ut *actus*, qui ex parte objecti sunt indifferentes, sint recti & boni; ut patet ex deambulatione, quæ à viro pio suscipitur animi relaxandi causâ; ut postea vitæ christianaæ officiis liberiùs persungatur.

Dixi iterum intentionem quantumvis rectam & piam non excusare penitus; quia finis operantis, si pius sit, et si non secundum scientiam, interdum minuit peccatum; ut enim optimè monet Aug. lib. contra mendac. cap. 8. *Gravius est avaritiā, quam misericordiā furtum facere* & Bernard. lib. de præcep. & dispensat. *Quod à nesciente fit, & bonum prorsus condemnas intentio prava, & ma-*

lum non penitus excusat recta.

CONSECTARIUM. III. Hinc etiam patet triplicem in actibus humanis agnoscendi debere, tum bonitatem, tum malitiam; quarum altera petitur ex objecto, quod legge præcipitur, aut prohibetur; altera ex intentione operantis, quæ est legi conformis, vel disformis; altera ex circumstantiis, quæ cum lege consentiunt, vel discrepant. Quæ quidem triplex, tum bonitas, tum malitia, cum non uno & eodem modo actibus humanis conveniat, ideo sit.

II. PROPOSITIO. Bonitas & malitia actuum humanorum ita ex objecto, fine & circumstantiis petitur; ut *essentialis*, tum bonitas, tum malitia, ex objecto & fine; *accidentaria* ex circumstantiis desumatur: nisi circumstantiæ sint ex earum numero, quæ speciem mutant.

Probatur 1. pars, scilicet quod *essentialis* tum bonitas tum malitia ex objecto desumatur.

1. Script. Homines in Sacris Litteris predominantur boni vel mali, justi vel injusti, ab objectis, quæ eligunt, juxta illud Oseæ 9. v. 10, facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt. Ergo præcipua tum bonitas tum malitia ab objecto desumitur; eadem enim est ratio ut dicit D. Thom. 1. 2. q. 18. a. 2. de bonitate, quæ de malitia.

2. Ex D. Thom. 1. 2. q. 18. a. 2. in corp. Prima bonitas actus moralis attenditur ex objecto legibus convenienti.... Primum malum in actionibus moralibus est quod est, ex objecto legibus inconvenienti, sicut accipere aliena.

3. Ratione. Ex eo petitur essentialis tum bonitas, tum malitia actuum humanorum, à quo actus humanus habet, quod sit ex se conformis, aut discrepans cum regulis morum, ut patet; atqui actus humanus habet ex objecto, quod sit ex se & essentialiter conformis, aut discrepans cum regulis morum; conformis quidem, si objectum lege præcipiatur; repugnans vero, si lege prohibetur, sic amor Dei & proximi ex se bonus est; quia lege præcipitur: odium vero tum Dei, tum proximi ex se pravum est, quia lege prohibetur: ergo.

Probatur 2. pars, scilicet quod ex fine quoque oriatur essentialis, tum bonitas, tum malitia.

1. Ex Script. Christus in Evangelio ex fine præsertim bonitatem & malitiam actuum humanorum aestimandam esse docet, dum dicit: *si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Math. 6. v. 22. ubi sicuti per oculum simplicem significatur intentio recta, ita per oculum nequam significatur intentio prava, ut docet, post Aug. D. Thom. ergo ex fine petitur essentialis, tum bonitas, tum malitia.

1. Ex Aug. Qui tantam vim tribuit fini, ut similiter ex eo præsertim humanos actus pensari velit, non enim inquit valde attendas quid homo faciat; sed quid, cum facit res piciat in Psal 31. & lib contra mendac. cap. 7. interest quidem plurimum, qua causâ, quo fine, qua intentione quid fiat; ut inde scilicet

scilicet cognoscatur, quæ sit bonitas, aut malitia essentialis actuum humanorum; scribens enim contra Julia. lib. 4. cap. 3. ait *Noveris non solis officiis; sed finibus à vitiis discernendas esse virtutes: Officium autem est quod faciendum, finis vero propter quod faciendum est.*

3. Ratione. Finis, ut patet ex ante notatis, duplex est, operis & operantis; atque ex utroque illo fine desumitur essentialis, tum bonitas, tum malitia actuum humanorum. Ergo &c. Minor patet quoad utramque partem.

1^o. Enim ex fine operis petitur essentialis, tum bonitas, tum malitia; quando quidem finis operis ipsum est objectum, cui prout de eadem, quæ objecto, competit, tum bonitas, tum malitia, ut patet in eleemosinâ, cuius finis proprius est sublevatio alienæ misericordiæ, & in furto cuius finis proprius est rapere rem alienam.

2. Ex fine operantis petitur quoque essentialis, tum bonitas, tum malitia actuum humanorum; finis enim operantis proprium fit operantis objectum, ut observat D. Thom. 1. 2. q. 16. a. 6. Unde ibidem docet idem Doctor, post Aristotelem, eum qui furatur, ut adulterium committat, adulterum potius quam furem esse nominandum; quod scilicet adulterium sit objectum præcipuum, quod sur eo in casu sibi proponit, ordinando nimis furtum ad adulterium perpetrandum.

Probatur 3. pars. Scilicet quod accidentaria, tum bonitas, tum malitia actuum

CO MORALIS CHRISTIANA.
humanorum petatur ex circumstantiis.

Nomine circumstantiarum, ut diximus, intelliguntur accidentia quedam, quæ humano actui in suo esse morali constituto adveniunt, seu quæ actiones humanas, sive bonas, sive malas modificant, ergo sicuti in physicis accidentia entibus physicis perfectionem aut imperfectionem accidentariam tribuunt; ita & in moralibus accidentaria actuum humanorum, tum perfectio, tum imperfectio ex circumstantiis peti debet.

Dixi, nisi circumstantiae sint ex earum numero, quæ speciem mutant; quia tunc circumstantiae honestatem, aut malitiam essentialiem conferunt. De quo infrà.

MONITUM. Observa, quod licet malitia, quæ ex objectis petitur, aetibus humanis sit *essentialis*; non tamen eodem modo sit invariabilis: ea enim actuum humanorum objecta, quæ naturali Lege prohibentur, invariabilem prorsus malitiam continent; adeò ut numquam licita fieri possint. Quæ vero legibus tantum positivis prohibentur, tandem tantum actus humanos *essentialiter* videntur, quandiu vigent leges, quibus prohibentur; adeò ut cessante vigore legis, licita fieri possint Cujus rei ea ratio est, quod, quæ lege naturali prohibentur, non ideo sunt mala, quia prohibentur, sed ideo prohibeantur, quia mala; quæ vero legibus positivis prohibentur, ideo tandem sunt mala, quia prohibentur: ex quo fit, ut cessante prohibitione licita fieri possint, quod quidem fusiūs explicabitur ubi de lege.

Observa iterum, quod licet malitia, quæ

TRACT. II. CAP. II. 51

ex fine operantis petitur, sit etiam actibus humanis *essentialis*; quia scilicet finis ille proprium fit, ut diximus, operantis objectum: absolute tamen actioni sit extrinseca; quia nimis ad operantis arbitrium aliò referri actio potest.

CONSECTARIUM I. Hinc inferes 1. actus omnes humanos, qui circa objecta versantur naturali lege prohibita, licitos numquam fieri posse, nisi forte adgit ignorantia invincibilis. Hæc enim objecta invariabilem protrsus malitiam continent. Sic numquam licet blasphemare, pejerare, parentes inhonorare, justitiam lacerare, &c. Quia scilicet hæc naturali lege prohibentur.

CONSECTARIUM II. Hinc inferes 2. actus omnes humanos, qui circa objecta versantur legibus solum positivis prohibita, tamdiu dumtaxat malos esse, quamdiu vigent Leges positivæ, quibus prohibentur licitos verò fieri posse, ubi cessat carum vigor, vel per abrogationem, vel per dispensationem, &c. Sic vigente Lege Mosaica Iudeis non licebat comedere sanguinem, aut suffocata, quæ tamen comedio licita nunc est, Lege veteri per Evangelicam abrogata.

CONSECTARIUM III. Hinc inferes 3. ea, quæ pravo tantum operantis fine inficiuntur, licita posse fieri, si accedat recta intentio; ut patet in eo qui ob vanam gloriam eleemosinam dare solitus, pravam illam corrigit intentionem, & amore Christi pauperibus deinde opitulatur. Etsi enim malitia, quæ actibus humanis ex fine operan-

tis advenit, sit *essentialis*, absolute tamen illis est, ut modo diximus, extrinseca.

CONSECTARIUM IV. Hinc inferes denique actus omnes humanos, qui ex circumstantiis tantum vitiosi sunt, bonos fieri posse, si hujusmodi circumstantiae removentur; quæ enim aetibus humanis ex circumstantiis malitia advenit, eis accidentaria est ac proinde eam deponere possunt actus humani, ut patet in eo, qui orat indebito tempore; hujus enim oratio recta siet, si congruo tempore adhibetur.

CAPUT III.

Quomodo actus, sive boni, sive mali inter se invicem distinguantur.

Actus, sive boni, sive mali ab invicem distinguuntur, vel specificè, vel numericè: &, si inter se conferantur, sunt alii, aliis aut meliores, aut peiores: quare in hoc tertio capite statuemus. 1. Unde desumenda sit actuum humanorum, sive bonorum, sive malorum distinctio, tum specifica, tum numerica. 2. Unde petenda sit etiundem inter se inæqualitas tum *essentialis*, tum *accidentaria*. 3. Denique cum è peccatis, alia venialia sint, alia lethalia; Regulas quasdam subjiciemus, quibus mortale peccatum à veniali secerni possit. Quæ quidem tria, et si metaphysica videantur, scitu tamen sunt omnino necessaria; præser-tim quod ad peccata attinet, cum ex Trident. ses. 14. c. 5. Peccata mortalia in eo à

venialibus distent, quod illa sint materia confessionis necessaria; hæc vero libera; cumque ex eodem Concilio necessariò declarandæ sint in confessione non solum diversæ peccatorum species; sed & eorum numerus; imd juxta probabiliorem & tutiorem Theologorum sententiam aperiendæ quoquè sint ex circumstantiæ, quæ peccatum notabiliter aggravant.

§. I.

Unde desumatur actuum humanorum, sive bonorum, sive malorum, distinctio, tum specifica, tum numerica.

Nota. Actus humani, sive boni, sive mali, specie distinguuntur, in quantum, sub eodem genere virtutis aut vitii, diversas virtutum, aut vitiorum species constituunt: numero vero quando intra eandem virtutis, aut vitii speciem multiplicantur.

Sic fides & charitas specie distinguuntur; actus vero charitatis, ab alio actu charitatis numericè tantum distinguitur.

Sic è contra, furtum specie differt ab adulterio; furtum vero ab alio furto numericè tantum secernitur.

I. PROPOSITIO. Virtutum & vitiorum specifica distinctio ex objecto, & fine, & non numquam ex circonstantiis petitur.

Probatur. Hinc desumi debet specifica virtutum & vitiorum distinctio, undè desumitur essentialis, tum bonitas, tum malitia actuum humanorum; diversæ siquidem essentiæ diversas constituunt species. Atqui actus humani ex objecto & fine, & nonnumquam ex circumstantijs essentialiæ desumunt, tum

bonitatem, tum malitiam ut superiori capite demonstratum est. Ergo & distinctionem specificam.

CONSECTARIUM I. Ad cognoscendas diversas, tum virtutum, tum vitiorum species, primò & præcipuè objectum est attendum. Inde enim specifica virtutum & vitiorum distinctio, præcipuè oritur; unde actus humani, sive boni, sive mali, primam & præcipuam habent essentialem tum bonitatem tum malitiam, ac proinde distinctionem.

Sic virtutes, quæ Theologicæ dicuntur, specificè differunt à virtutibus moralibus; quia illæ immediatè circa Deum versantur, aliæ circa media quæ ducunt ad Deum.

Sic etiam fides, spes, charitas inter se invicem specificè differunt; quia prima circa veritatem Dei; secunda circa ejus fidelitatem; tertia circa ejus bonitatem versatur.

Sic quoque prudentia, justitia, fortitudo, temperantia specificè inter se secernuntur; quia habent diversum objectum & diversos effectus producunt. Justitia enim jus suum cuique tribuit; fortitudo dat firmitatem in audeundis periculis & tolerandis laboribus; temperantia delectationum corporearum usum moderatur; prudentia vero modum quibuscumque virtutibus præscribit.

Sic contra vitia, quæ virtutibus Theologicis opponuntur, distinguuntur specificè à vitiis, quæ virtutibus moralibus adversantur; quia priora immediatè Deum ipsum laudent; posteriora vero ab his mediis nos avertunt, quæ nos ad Deum deducunt.

Sic infidelitas , desperatio , præsumptio , cupiditas inter se secernuntur specificè ; quia fidei , infidelitas ; spei , desperatio & præsumptio ; cupiditas verò charitati repugnat.

Sic injustitia & intemperantia inter se specificè differunt ; quia prior justitiæ , posterior temperantiæ adversatur.

C O N S E C T A R I U M I I . Ad cognoscendas diversas virtutum & vitiorum species , finis quoque operantis attendendus est. Ex fine enim , ut suprà diximus , petitur etiam essentialis , tum bonitas , tum malitia actuum humanorum , ac proinde distinctio specifica.

Sic quod est ex specie suâ indifferens , v. g. ambulare , sedere , domi manere , vel domo egredi , speciem boni vel mali assumit ; prout bono vel pravo fine dirigitur. Putà sit bonum ; si amici causâ facias , malum verò , si motivo pravæ libidinis explendæ præstiteris.

Sic , quod est ex se præcisè bonum in ordine naturali , v. g. amicos invisere , alienam miseriam levare , ad ordinem evehitur supernaturalem , si ex intentione supernaturali oriatur , v. g. si fiat , ut Deo offenso satisfaciamus.

Sic è contra , quod est ex se indifferens , v. g. domi manere , vel domo exire , speciem finis operantis induit , v. g. in furtum , in adulterium degenerat ; si fiat animo , funderandi , animo adulterandi.

Sic etiam , quod est ex se bonum , malitiam contrahit ab operante intentam , ut patet exemplo illius , qui eleemosinam pauperi virginis erogat ; ut eâ abutatur. Hujus enim liberalitas stuprum est , non eleemosina.

Sic deniqnē, quod in aliqua specie mali constituitur, in aliam transit peccati speciem, si finis operantis diversus sit ab objecto peccati; v.g. qui falsum testimonium dicit coram judice, ut proximo mortem molliatur, ille non tam est mendax & perjurus, quam homicida.

C O N S E C T A R I U M III. Ad cognoscendam virtutum & vitiorum speciem, circumstantiae quoque sunt attendendæ; aliquando enim ut modò diximus, virtutum & vitiorum speciem immutant; quando scilicet, ut docet D. Thom. 1. 2. q. 18. a. x. in corp. *Respiquant specialem ordinem rationis, vel pro, vel contra.* Hoc est specialem afferunt cum lege, vel convenientiam, vel discrepantiam, que neque in objecto, neque in fine occurrit. Unde ad discernendas hujusmodi circumstantias sequentes Regulæ statui possunt.

R E G U L A 1. *Toties circumstantia speciem immutat, quoties per eam fit, ut actus alicius virtuti sit conformis, vel difformis, cui alioquin, nec conformis esset, nec contrarius.* Tunc enim duplex virtus, aut exercetur, aut lèditur, quod quidem clariùs patebit exemplis.

Sic eum quis jejunat ex voto, ut carnem refrænet, jejuniū nedium habet speciem abstinentiæ, sed etiam religionis; quia scilicet, ut utar verbis D. Thom. Fidelitas in servando voto specialem includit cum lege convenientiam que jejunio nec ratione fui, nec ratione finis intenti conveniat, sed solum ob circumstantiam voti.

Sic è contra, qui furatur in Ecclesia, ne-

dum fur est, sed etiam sacrilegus; quia nedum justitiam lèdit alienum accipiendo, sed etiam religionem, quæ res sacras violari vetat; ac proindè, in injustâ illâ rei alienæ acceptance, specialis occurrit cum lege repugnantia, quæ in furto ratione sui non reperitur.

Sic pariter in Sacerdote, in Religioso, luxuria nedum est fornicatio, vel stuprum, vel adulterium; sed etiam sacrilegium ratione voti castitatis, quod violatur; & è contra, continentia in Sacerdote, & Religioso, nedum est castitas; sed etiam virtus religionis, ratione voti, per quod utriusque corpus Deo consecratum est.

Sic pariter, qui Clericos pauperes eleemosinis juvat, opus elicit misericordiæ & religionis; misericordiæ, quia dat eleemosinam; religionis, quia ministris Deo sacris oportulatur. Econtra, qui eosdem Clericos debitissimis stipendiis fraudat, nedum injustus est, sed sacrilegus.

REGULA 2. In uno & eodem actu Physico, moraliter spectato, tot sunt virtutes quot observantur præcepta, vel consilia non subordinata, seu eodem non tendentia; & è contra tot sunt peccata, quot violentur præcepta disparata, seu quæ eodem non tendunt.

Sic in uno & eodem jejunio, quod quis observat, ut obediatur Ecclesiæ, ut injunctam à confessario poenitentiam adimpleat, ut impendat charitati, quod subtrahit voluptati, triplex reperitur virtus; obedientia erga Ecclesiam; satisfactio erga Deum; charitas erga pauperes.

Sic è contra , dum pervagilium Divi Matthiæ in quadragesimam & in quatuor tempora incidit , si quis cā die jejunet , ut obediat Ecclesiæ , unam tantum virtutem exercet , licet trīplici satisfaciat præcepto ; quia scilicet triplex illud Ecclesiæ præceptum eodem tendit , & si eodem die non jejunaret , unum & non multiplex peccatum committeret.

Sic pariter , qui uno & eodem actu proximum allicit ad blasphemandum , duo peccata committit , alterum in religionem , quam lædit , Deum inhonorando , alterum contra charitatem , quam violat , proximum ad peccatum inducendo.

Sic pariter Sacerdos Beneficiarius omitiens horas Canonicas , unā & eadem omissione duplex peccatum committit ; alterum contra religionem , violando obligationem , quæ nascitur ex susceptione Ordinis Sacri ; alterum contra justitiam violando obligationem , quæ oritur ex Beneficio.

II. PROPOSITIO. Actuum humanorum , sive bonorum , sive malorum distinctio numerica desumitur ex morali temporis interruptione , quæ reperitur inter actus voluntatis , ad idem objectum tendentis.

Probatur. Ex eo habent actus humani , sive boni , sive mali numericam distinctionem ; ex quo habent , quod sint intra eamdem speciem multiplices. Atqui , quod sint intra eamdem speciem multiplices , hoc habent ex morali temporis interruptione , quæ inter eos intercedit , dum ad idem objectum tendunt ; sicuti enim actus Physici in-

trà eamdem speciem physicè multiplicantur , per physicam temporis interruptiōnem ; ita & actus morales intrà eamdem speciem numericè multiplicantur per moralem temporis interruptionem : ergo &c.

Quod si quæras , quid sit moralis temporis interruptio , & in quo à physicā temporis interruptione secernatur.

Resp. In hoc moralem interruptionem , à physicā distingui ; quod toties interveniat interruptio physica ; quoties inter actus physicos intercedit diversum tempus ; quodque , ut accidat interruptio moralis , non sufficiat diversum tempus ; sed & præterea requiratur nova voluntatis circa idem objectum determinatio.

Sic ille , qui 1. cogitat de furto committendo. 2. Consilium capescit furandi. 3. Media ad furandum assumit v. g. scalam arripit , perfodit domum , capsulam aperit. 4. Demum pecuniam surripit & fugit , diversos quidem actus physicos elicit ; cum ii diversis temporibus respondeant ; sed unum tantum numero peccatum committit , quia scilicet prædicti omnes actus physici ab eadem voluntatis determinatione furandi proficiuntur.

Sic è contra , qui vel intrà semi-horam furtum decies proponit , & decies furti pœnitit ; decem peccata committit ; quia scilicet nedum est diversum tempus , sed etiam nova voluntatis circa idem objectum determinatio. Verum hæc sequentibus consecutiis clariora evadent,

C O N S E C T A R I U M . I. Toties actus cen-

setur moraliter interruptus quoties prior voluntas per contrariam revocatur.

Sic, qui consilium iniit furandi, si penitentia ductus nefariam illam voluntatem revocet, & deinde ad eam redeat, adest inter duos illos actus moralis interruptio, licet exiguum tempus inter utramque illam furandi voluntatem intercesserit; quia si licet adest & diversum tempus, & diversa circa idem objectum determinatio.

C O N S E C T A R I U M . II. Toties actus censetur moraliter interruptus, quoties voluntas cessat a priore actu, liberè de re aliqua cogitando, quæ nullam habeat cum priore voluntate connexionem.

Sic, qui consilium vindictæ iniit, postea studio vacat, nihil cogitans de vindicta; si post studium ultionem de novo meditetur, novum numero peccatum committit; quia posterior ultionis voluntas novo non solum temporis respondet, sed etiam a nova determinatione oritur.

C O N S E C T A R I U M . III. Toties actus censetur moraliter interruptus, quoties a priore actu cessatur involuntariè vi alicujus causæ physicæ, putâ per somnum, per ebrietatem, &c.

Sic, qui odio in fratrem ante somnum, ante vinum exarsit, & è somno, aut è vino rediens, eundem odii actum renovat, duplex numero peccatum committit; quia scilicet inter unum & alium actum tantum temporis intercedit, ut ex prudentum iudicio unus actus cum alio non colligetur, & posterior a nova voluntatis determinatione oriri censeatur.

§. II.

Vnde petenda sit actuum humanorum, sive bonorum, sive malorum inter se inæqualitas.

Nota 1. Actus humanos alios, aliis esse, vel meliores, vel pejores. Certum siquidem est fidé catholica, nec virtutes esse inter se æquales, nec vitia paria, ut olim stoicis visum est. Sicuti enim quibusdam operibus maiorem in cælis mercedem Scripturæ passim promittunt; ita & graviores poenas quibusdam peccatis paratas declarant.

Nota 2. Illam virtutum & vitiorum inæqualitatem duplēm esse; aliam essentialem, aliam accidentariam: prior actibus humanis intrinseca est, eisque convenit ratione sui: posterior actibus humanis extrinseca est, eisque convenit ex accidenti. Unde utraque illa bonitas sumenda sit, sequens propositio explicabit.

PROPOSITIO Unica. Essentialis virtutum & vitiorum inæqualitas ex objecto & fine; accidentaria verò ex circumstantiis, speciem non variantibus, petitur.

Probatur. Ex eodem fonte peti debet virtutum & vitiorum inæqualitas, tum essentialis, tum accidentaria; ex quo petitur actuum humanorum bonitas & malitia, tum essentialis, tum accidentaria: illa siquidem virtutum & vitiorum inæqualitas nihil aliud est, quam major vel minor gradus bonitatis & malitiæ, qui in actibus humanis occurrit. Atqui actuum humanorum essentialis, tum bonitas, tum malitia ex objecto & fine petitur; accidentaria verò ex circumstantiis, speciem non variantibus, ut

superiori capite declaravimus. Ergo &c.

C O N S E C T A R I U M . I. Ad metiendam virtutum vitiorumque inæqualitatem , primò & præcipuè attendenda sunt earumdem virtutum & vitiorum objecta. Indè enim primò & præcipuè desumitur illa inæqualitas. Ex quo iterum sequitur , quod quò nobilis est virtutis & vitii objectum ; eò & nobilior virtus , quæ illud sectatur , & gravius peccatum , quod illud lædit.

Sic virtutes , quæ Deum inmediate respiciunt , putà fides , spes , charitas sublimiores sunt his virtutibus , quæ nos , vel proximum respiciunt.

Sic contrà peccata , quæ Deum petunt , ut idolatria , blasphemia &c. his graviora sunt , quæ hominem impetunt ; & rursùs ea , quæ sunt contrà hominis vitam , ut homicidium , his graviora sunt , quæ sunt contrà ejusdem hominis exteriora bona , ut furtum.

C O N S E C T A R I U M . II. Ad metiendam virtutum vitiorumque inæqualitatem , maximè etiam attendendus est finis operantis ; indè enim essentialiter etiam petitur illa inæqualitas.

Ex quo iterum sequitur , quod , quò melior aut pejor est operantis finis , eò ejus actioni major vel minor dignitas aut malitia accedit.

Sic bene facit , qui misericordiâ motus eleemosinam pauperi erogat ; melius , qui ut obtemperet confessario ; sed longè sanctius , qui ducitur amore Christi , superflua pauperibus erogare præcipientis.

Sic contra peccat quidem, qui jocosè mentitur; magis verò, qui ob vanam gloriam mendacia profert; sed longè gravius, qui idem facit, ut proximo damnum inferat.

CONSECTARIUM. III. Ad metiendam virtutum & virtiorum inæqualitatem, circumstantiæ quoque diligenter sunt atten-dendæ, licet enim speciem non mutent, notabiliter tamèn virtutem aut vitium, intrâ eamdem speciem, sàpè vel augent, vel minuunt.

Ex quo iterum sequitur, actum, sive bonum, sive malum, meliorem vel pejorem fieri; prout melioribus, vel pejoribus circumstantiis induitur, ut patet ex induc-tione sequenti

Ac i. quidem ex circumstantiâ personæ sicuti virtuti, nova quadam dignitas; itâ & vitio accidit nova quædam deformitas.

Sic virtus in Rege, in Principe, in Mag-nate, in Magistratu, cæteris paribus; dignitatem habet, quæ in plebeis & obscuræ fortis hominibus non reperitur, nimirum ratione boni exempli; undè à patribus commendari meritò solet pœnitentia Davidis Regis, Thedofsi Imperatoris, & reliquo-rum principum, qui se spectabiles reddiderunt virtutis exercitio.

Sic è contra peccata in personâ publicâ, in sacerdotibus graviora sunt, quàm in pri-vatis & in laicis, nimirum ratione scanda-li, unde Salvianus lib. 4. de gubernatione Dei. *Criminosior culpa est, ubi honestior sta-tus: si honoratior est persona peccantis, pecca-ti quoque major invidia.... ubi sublimior*

prærogativa, major est culpa. Et Bernard. lib. 2. de confid. cap. 13. *Nugæ in ore sacerdotum nugæ sunt; in ore Sacerdotis blasphemie. Consecrati os tuum Evangelio, talibus aperire illicitum.* Demum Scriptura satis indicat scelerata multum crescere ex dignitate personæ, dum dicit, *potentes potenter tormenta patientur.* Sap. 6. v. 7.

Atque hinc est, quod patres graviora pronuntiant Christianorum peccata, quam paganorum; quod scilicet Christiani per baptismum fiant membra Christi, & templum Spiritus Sancti; neque ullum ignorantiae praetextum ut loquitur Tertul. lib. de penitentia. cap. 6. *eis patrocinari possit;* eorumque peccata speciale quoddam ingratitudinis vitium in se contineant, quod in paganis non occurrat, ob accepta scilicet specialia beneficia, quæ Paulus commemorat ad Hebreos. 6. Unde passim docent Scripturæ Christianos peccatis suis contristare Spiritum Sanctum, templum Dei violare, hostiam, seu propitiationem, sibi non reliquam facere, thesaurisare sibi iram in die iræ, & terram esse maledicto proximam cuius consummatio in combustionem.

2. Ex circumstantiâ objecti, hoc est vel ex ejus qualitate, aut quantitate; vel ex dignitate, aut indignitate personæ, cui benefacimus, vel nocemus, sicuti bonis operibus novum pretium, ita & pravis nova malitia additur.

Sic qui divitias liberaliter effundit in sinu pauperum, aut necessariis se fraudat, ut eas egenis largiatur, longe majorem ha-

bebit mercedem, quām qui parcus est in eleemosinis, aut nihil nisi superflua clāgitur. Unde Paulus 2. Cor. cap. 9.v.6. *Qui parcē seminat, parcē & metet, & qui seminat in benedictionib⁹, de benedictionibus & metet.* Et 2. Cor. cap. 8. v. 3. Macedonios Corinthiis laudat, quod non solum secundum virtutem, sed etiam supra virtutem, hoc est non solum pro viribus, sed etiam supra vires fratres, qui Jerosolimæ erant, eleemosinis suis liberaliter sublevassent.

Sic contrà, qui furto ingentem pecuniaē summam subripit diviti, aut exiguae pauperi, sed ei necessariam, gravius peccat, quam qui levem summam subriperet diviti, & pauperem re non necessariā defraudaret. Unde in scripturis opressio pauperum peccatum dicitur in cœlum clamans.

Sic etiam, quò humilior, aut indignior est persona, cui benefacimus, putā si infimæ sortis ægros invisamus, aut infensissimis inimicis opem feramus; eò & excelsior nostra benignitas. Unde Paulus ad Rom. cap. 5. v. 8. Dei in nos charitatem commendat, quod cum adhuc peccatores essemus . . . Christus pro nobis mortuus est.

Sic ècontrà, peccatum eò gravius, quò dignior est persona, quæ per peccatum lœditur; quia quò magis persona lœsa Deo conjungitur, vel ratione virtutis, ut sancti; vel ratione officii, ut Magistratus, illius injuria magis redundat in Deum. Ideò & sanctis ait Deus per Zach. cap. 2. v. 8. *qui vos tetigerit, tangit pupillam oculi mei,* & injuria contra Magistratus specialiter prohibetur. Exod. 22.

v. 28. his verbis *Principi populi tui non malecedices*. In quam sententiam ait D.Thom. I.2. q. 73. a. 9. in corp. *Peccatum quod fit in personam publicam, putè Regem, vel Principem, qui gerit personam totius multitudinis, est gravius, quam peccatum, quod committitur contra unam personam privatam...* Et similiter *injuria quæ fit alicui personæ famosæ, videtur esse gravior, ex hoc quod in tribulationem plurimorum redundat*.

3. Circumstantia loci novam quoque actibus humanis bonitatem, aut malitiam affert.

Sic qui publicam agit pœnitentiam, magis meretur, quam qui privatam; & qui in publico peccat, magis delinquit quam qui privatim.

4. Ex mediis, quibus utimur ad bene vel male operandum, oritur etiam nova, vel rectitudo, vel difformitas.

Sic qui ut devotionem nutr'at, exercitiis utitur, vel à Christo, vel ab Apostolis & Patribus traditis, & ubique & semper in Ecclesia receptis, putè Parochiæ suæ assiduus est, sacramenta frequentat, verbum Dei audit, &c. rectius haud dubiè & utilius operatur, quam qui arbitraria pietatis exercicia feligit.

Sic contrà, qui ad explendam vel libidinem, vel ambitionem, vel vindictam, vel alios nefarios affectus, multis utitur complicibus, eosque sui sceleris cooperatores ac socios efficit, criminosis certè peccat, quam qui solus eadem flagitia perpetrat.

5. Ex accidentario actus humani modò

novum meritum, vel demeritum operibus nostris advenit.

Sic qui sponte & ardenter religionis exercitiis vacat, longe magis placet Deo, quam qui non nisi a grē & remissē eadem implet. *Hilarem enim datorem diligit Deus*, ut asserit Paulus, 2. Cor. 9. v. 7.

Sic ē contrā, qui libidine ductus, vel vindictā, insolitum adhibet peccandi modum, putā occisi inimici sanguinem epotat, & luxuriando insolita patrat, quæ pudor nominare vetat, scelestior est, quam qui eadem scelera non sic inordinatè committit.

6. Denique diurnitas & qualitas temporis, non leve discrimen virtutibus & vitiis affert.

Sic, cæteris paribus, quò diurniora sunt pietatis exercitia, eò & Deo jucundiora, & qui eo tempore orat, quo tota orat Ecclesia, orationem adhibet utiliorem, quam si alio tempore oraret; est enim, ut ait Paulus, *tempus acceptabile*, hoc est, quo Deus faciliūs exoratur.

Sic ēcontrā quò diutiūs peccatores peccata sua protrahunt, putā dies & noctes in popinis exigunt, vindictam per dies solidos, per hebdomadas, per menses, per annum in animo nutriunt, eò & suppicio digniores. Et qui diebus festivis rebus illicitis vacant vino & cibo v. g. mentem obruunt, diesque faciat in ludis chœris aut theatris exigunt, graviūs peccant, quam si illud idem alio tempore factitarent.

MONITUM. Imò ea est circumstantiam vis, ut malitia, quæ ex his humano ac-

tui advenit , nonnumquam absolutè loquendo , sit gravior malitiā , quām idem actus ex objecto desumit . Interduim enim tam graves circumstantiæ peccatum comitantur , ut licet ratione objecti & essentialiter minus sit alio ; ratione tamen circumstantiarum simpliciter omnibus pensatis gravius sit , ut patet in homicidio , quod licet ratione objecti & essentialiter minus sit peccatum , quam blasphemia ; tamen ratione circumstantiarum quæ illud comitantur , & ratione effectuum quæ ex eo sequuntur , absolutè loquendo gravius est , uno blasphemiae peccato . Unde & canones graviores homicidis pœnas decernunt quam blasphemis , ut videre est in canonibus pœnitentialibus .

§. III.

Quomodo peccatum mortale , à veniali secerni debeat.

Not. 1. Certum est ex fide Catholica , è peccatis , alia esse mortalia , alia venialia ; hoc est , alia esse peccata , quæ spiritualem animæ mortem inferunt , seu creaturæ amicitiam cum Deo dissolvunt & charitatem tollunt ; ac proinde morti æternæ , quæ in exclusione à Regno Dei & pœnis æternis posita est , nos addicunt : alia è contra animam quidem vulnerant , sed non ad mortem ; quæ licet charitatis fervorem minuant , eam tamen prorsū non extinguunt , nec planè dissolvunt creaturæ cum Deo amicitiam ; unde & venialia nominantur , quod scilicet his facile venia concedatur .

1º. Enim , quod ad mortalia attinet , clare docet Scriptura , quædam esse peccata , quæ

præsentem animæ mortem inferunt , juxta illud I. Joan. cap. 3. v. 14. *Qui non diligit manet in morte* , & illud Sap. I. v. 11. *Os quod mentitur occidit animam*. Deinde aper-
tè quoque eadem scriptura tradit , quædam esse peccata , in quæ Deus per mortem æter-
nam animadvertisit ; hoc est per exclusionem à Regno Cœlorum , & pœnas inferni , juxta illud Paul. ad Galat. 5. v. 21. *Quoniam qui talia agunt Regnum Dei non consequentur* , & illud Christi Math. 25. v. 41. *Ite maledicti in ignem æternum . . . esurivi enim & non dedisti mihi manducare*.

2. Quod ad venialia spectat , docet Paul. I. Cor. cap. 7. In conjugibus culpas esse ve-
niales , seu quibus facile venia indulgetur. Deinde justi . dum ex traditione à Christo Domino ortâ hæc orationis Dominicæ verba recitant , *dimitte nobis debita nostra* , pro peccatis orant venialibus ; neque enim cum mortalibus peccatis status gratiæ & justitiæ componi potest.

Not. 2. Certum etiam esse nihil esse difficilius , quâm peccatum mortale à veniali secernere : 1°. enim id ingenuè fateretur. Aug. lib. 21. de Civ. Dei cap. 27. ubi sic loquitur. *Quæ sunt ipsa peccata , quæ ita impediunt pæ-
ventionem ad Regnum Dei . . . difficillimum invenire*. Deinde varie occurunt rationes , quæ hujusmodi mortalis peccati à veniali discrimen difficillimum efficiant. 1°. Enim mens nostra circâ moralia magis cœcutit , quâm circâ alia ; scimus inquit Aug. lib. de natura & gratia cap. 4. *Leones domare & uescimus delicta nostra cognoscere*. 2. Vo-

Iuntas per peccatum corrupta inducit intellectum ad judicandum, prout est affecta, & saepe non ex regula veritatis sed ex cupiditate rem metitur. Sic, ut notat Aug. lib. de mend. cap. 18. Ebrius damnat quidem furtum; sed excusat ebrietatem: Fur vero licet ebrietatem damnet; furtum tamen excusat. 3. Sapere fit, ut peccata, quamvis gravia, cum in consuetudinem venerint, aut levia, aut nulla esse credantur: usque adeo inquit Aug. Ench. cap. 8. ut non solum tune occultanda, verum etiam praedicanda ac diffamanda videantur. 4. Demum, ut notat Aug. lib. 21. de Civit. Dei cap. ult. ideo voluit Deus difficile nobis esse hujusmodi peccati lethalis a veniali discrimen, ne studium proficiendi ad omnia peccata cavenda pigresceret.

Not. 3. Certum pariter esse nihil magis esse necessarium quam lethalia peccata a venialibus, quantum fieri potest, discernere; quid enim periculosius, quam in ea re halucinari; ubi erroris non alia poena quam mors aeterna. Unde Aug. lib. 21. de Civ. cap. ult. *periculissimum esse* ait definire quae mortalia quae venalia; quia scilicet, si forte lethalia pro venialibus accipiuntur, mortis aeternae periculum incurritur.

Not. 4. Certum similiter esse, discrimen peccati mortalis a veniali, non ex humana ratione per peccatum corrupta, sed ex scriptura & traditione; aliisque Moralis Christianae fontibus, quantum fieri potest petendum esse. Unde Aug. Ench. cap. 78. *Quae sint levia, quae gravia peccata, non humano, inquit, sed divino pensanda sunt iudicio,* & lib 2. cont.

Donat. cap. 6. Non afferamus stateras dolosas , ubi appendamus quod volumus , & quomodo volumus , pro arbitrio nostro , dicentes , hoc grave hoc leve est : sed afferamus divinam stateram de Scripturis Sanctis & in illis quid sit grave appendamus ; immo non appendamus , sed appensa à Domino recognoscamus.

Nota. Denique peccata , sive venialia , sive lethalia , considerari posse , vel *in genere* , vel *in individuo* ; quare , ut lethalia , à venialibus facilius secerni possint , regulas primò statuemus , quibus quæ peccata sint secundum speciem lethalia , quæ verò venialia , discerni queat. Deinde alias proponeamus , quibus cognosci possit , quandoactus hic & nunc in individuo lethalis fit , vel venialis.

Regulae quibus discerni debet , quæ peccata sint ex genere suo lethalia , quæ verò venialia.

i. *Regula* Ea quæ in Scripturis dicuntur mortem animæ inferre , odium Dei in nos provocare , amicitiam ejus dissolvere , aut ejus gratiâ nos privare , à Regno cœlesti nos excludere , vel digna sempiterno igne , &c. Peccata sunt ex genere suo lethalia , cum eis propria lethalis peccati effecta conveniant.

Sic odium proximi , mendacium fratri noxiū ; peccata sunt ex genere suo lethalia ; quia in scripturis dicuntur , animæ præsentem mortem inferre , ut modò est observatum.

Sic seminare inter fratres discordiam , sec-

tari ebrietatem justificare impium pro muneribus , &c. Peccata sunt ex genere suo mortalia ; quia odium Dei in nos provocant : Scriptura enim , vae & maledictiones contra illos peccatores pronuntiat. Prov. 6. v. 32. & Isai. c. v. 8. & 11.

Sic idololatria , adulterium , fornicatio , mollities , furtum , &c. Peccata sunt ex genere suo mortalia , quia excludunt nos à gloriâ , juxta illud Paul. i. ad Cor. 6. v. 9. *Neque fornicarii , neque idolis servientes , neque adulteri , neque molles , neque masculorum concubitores , neque fures , neque avari , neque ebriosi , neque maledici , neque rapaces regnum Dei possidebunt.*

Sic incredulitas homicidium secundum se sunt peccata mortalia , de incredulis & homicidis , dicit Joan. Apoc. 21. v. 8. quod pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure.

2. Regula. Quæ à patribus scelera , flagitia , crimina vulgo dicuntur ; peccata sunt secundum speciem suam lethalia ; solis enim peccatis lethalibus , Patres hæc odioſa non in vulgo tribuunt : ut ex traditione notum est. Unde Aug. hom. 41. in Joan. relatus à D. Thom. i. 2. q. 88. a. 1. *Crimen est quod meretur damnationem , & Bernard. lib. de dispensacione & precepto definit peccatum mortale. Criminalem transgressionem , & Greg. lib. 21. Moral. cap. olim. 9. nunc 12. Actus venialiter malos peccata numcupat, actus vero mortaliter malos crimina appellat . . . peccata ait animam polluunt, quam crimina extinguunt.*

Sic reddituum Ecclesiasticorum injusta administratio,

ministratio; peccatum est mortale; quippe ab Aug. Epis. 50. ad Bonif. vocatur *damabilis usuratio* & juxta D. Bernard. Epis. 2. ad Falconem. *Rapina est, sacrilegium est.*

Sic simonia ut peccatum mortale habenda est, vocatur enim à patribus *crimen detestabile*. Ita Paulus Papa 2. cap. cum detestabile *de simonia extrav. comm.*

3. *Regula*. Quæ legibus Canonicis gravi pœnâ mulcantur, putâ excommunicatione, depositione, degradatione, peccata sunt ex genere suo lethalia; neque enim venialibus culpis graves ad eò pœnæ decerni debent, ut de excommunicatione docet D. Thom. 4. Sent. d. 18. q. 2. a. 1. q. 3. & habetur ex Can. ait.

Sic usura, simonia, gravis percussio Clericorum peccata sunt secundum se mortalia, quia in hujusmodi crimina excommunicationis pœnam decernunt Canones.

Sic hæresis manifesta, Sodomia, gravis calumnia proprio Episcopo irrogata, falcificatio literarum Apostolicarum peccata ex genere suo mortalia censenda sunt, quia in hujusmodi flagitia degradationis vel depositionis pœnas infligunt Canones.

Sic omissio annuæ confessionis, & Paschalis communionis, iteratio sacramentorum characterem imprimentium censenda sunt peccata mortalia, quia sub gravibus pœnis ab Ecclesiâ prohibentur.

4. *Regula*. Quæ virtuti opponuntur ad salutem omnino necessariæ, peccata sunt ex naturâ suâ lethalia, à Regno enim cœlestî nos excludunt. Sic infidelitas, desperatio,

præsumptio , odium Dei , odium proximi peccata sunt ex genere suo mortalia , quia fidei spei , & charitati opponuntur , sine quibus virtutibus salus obtineri nequit . De infidelitate dicitur . *Qui non credit jam judicatus est* , Joan . 3 . v . 16 . Necessitatem spei indicant hæc verba Pauli ad Rom . 8 . v . 24 . *Spe enim salvati facti sumus* . Charitatis vero hic verba , Joannis , qui non diligit , manet in morte .

5. *Regula*. Quæ ex communī Theologorum sententia , lethalia judicantur , lethalia quoque habenda sunt . Ex unanimi enim Theologorum sententia morum argumenta petuntur non spernenda ; ut in primo tractatu diximus .

Sic violatio jejunii Ecclesiastici , omissio sacri diebus festis , exercitium operum servilium die festivo , peccata ex suo genere mortalia censenda sunt ; quia sic censent communiter Theologi .

6. *Regula*. Quæ prædictis quinque lethalis peccati characteribus carent , peccata sunt ex genere suo venialia ; quia scilicet his propria peccati mortalis effecta non convenient , nec signa quibus ea nobis innotescunt .

Sic multiloquium de quo Proverb . cap . x . v . 19 . Verbum otiosum , de quo Christus Math . 12 . v . 36 . Stultiloquium , scurrilitas , de quibus Paulus ad Ephes . 5 . v . 4 . Peccata censentur ex suo genere venialia ; quia scriptura locis prædictis ea non prohibet sub intermissione Divini odii aut damnationis æternæ .

Sic loqui , aut tacere , plusquam oportet , pauperem importunè petentem exasperare , non solo desiderio filiorum uxorem cognos-

cere, opera misericordiae tardius, quam pars est exercere, lautioribus cibis se nutrire; in Ecclesia silentium non servare &c. Peccata censenda sunt ex genere suo venialia; à patribus enim & præcipue ab Aug. serm. 41. de sanctis *inter minuta peccata recentur.*

Regule quibus discerni potest, quando actus malus hic & nunc in individuo lethalis sit, vel venialis.

1. *Regula.* Quoties in peccatore, plena occurrit deliberatio, & in objecto peccati ex genere suo lethalis adest materiæ gravitas. Toties in praxi peccatum lethale est habendum. Tunc enim notabiliter, & plena voluntate lex violatur; ac proinde, ut loquitur Aug. progeries *amor sui usque ad contemptum Dei*, in quo ex Sancto Doctore positum est lethale peccatum. Fecerunt, inquit, civitates duas amores duo, terrenam, scilicet, amor sui usque ad contemptum Dei; caelestem vero amor Dei usque ad contemptum sui. lib. 14. de civi. Dei. cap. 28.

Sic, qui ex deliberata voluntate vel grave crimen inponit proximo, vel rem alienam quæ magni sit momenti subripit, vel vino & cibo mentem obruit, lethaliter peccat: quia scilicet adest & plena deliberatio ex parte peccatoris & materiæ gravitas ex parte objecti ex genere suo lethalis; quæ duo, ex D. Thom. peccati malitiam complicant, hoc est lethalem efficiunt.

2. *Regula.* Quoties in peccatore non adest

plena deliberatio , virtualis faltem , toties peccatum , etsi ex suo genere lethale ; ut veniale in individuo habendum est : cum enim sine libertate non sit peccatum ; ita nec sine plena deliberatione , nequit esse plenum & consummatum peccatum , quod generet mortem , ut loquitur Jac.

Sic , subiti motus infidelitatis , desperationis , iræ , impudicitiæ , nec in se , nec in causa plenè voluntarii , quibus promptè non resistimus : peccata sunt in individuo venialia : *in solo enim affensu deliberato perficiuntur ratio peccati mortalium* ut docet D. Thom. q. 15. de veritate a 4. ad 2.

3. *Regula.* Quoties in objecto peccati ex genere suo lethalis , adeo est materiæ levitas , hoc est peccatum ex suo genere mortale , in individuo sumptum ; versatur circa levem seu parvi momenti materiam ; toties in individuo veniale est habendum ; sicut enim peccatum mortale non est sine plena deliberatione ; ita nec constat sine gravitate materiæ .

Sic , licet furtum , detractio , ex genere suo lethalia sint , non tamen peccatur nisi venialiter , si adsit vel in furto , vel in detractione , materiæ levitas : putè si pomum tantum subripiatur ; aut detractio non nisi leve damnum proximo inferat .

4. *Regula.* Toties peccatum ex suo genere veniale ; sit in individuo mortale ; quoties in individuo circumstantia afficitur mortaliter culpabili . Quod quidem variis modis contingere potest .

1. *Ratione Affectus mortaliter culpabilis*

v. g. si peccator ita esset in peccatum veniale affectus interius, ut paratus esset Deum potius deserere, quam ab illo actu temperare. ita D. Thom. 2. 2. q. 88. a. 6. in corp. *in tantum potest libido peccandi crescere, quod ille qui peccat, finem suum constitutus in peccato veniali.*

Sic, sicut affectus Esau cum Jacob fratri suo primo genito vendidit. Esau, inquit Aug. Epis. 86. *Non Esra, sed usque ad contemptum Sacramenti, quod in primatu suo habebat, concupita esca damnavit.*

2. Ratione Ordinationis in finem mortaliiter malum; v. g. si quis verbum jocosum proferat, ut mulierem provocet ad adulterium D. Thom. ibidem a. 2. in corp.

3. Ratione Conscientiae erroneae, ut dum quis actum venialiter malum exercet, quem judicat (licet falso) esse peccatum mortale. D. Thom. quodlib. 13.

4. Ratione Gravis scandali, quod ex actu licet ex se veniali oritur; quale sicut eorum peccatum qui coram infirmis idolothita edebant, quibus Paulus 1. ad Corint. 10. Ergo peribit in tua scientia frater pro quo Christus mortuus est, item, si esca scandalizat fratrem meum non manducabo carnem in eternum. Unde D. Thom. 2. 2. q. 43. a. 4. in corp. docet *quod actio minus recta, quia quis scandalosè est occasio cur proximus inducatur ad peccatum mortale, est peccatum mortale.*

5. Ratione Comtemptus formalis in legislatorem; cum scilicet quis legem infringit, ut legislatorem injuria afficiat: *ubique*

enim, ut docet Bernard. lib. de præcepto & dispensa. *Et culpabilis neglectus & contemptus* *damnabilis* & Hiero. Epis. ad Celantum & sānē nescio, an possimus leve aliquod præceptum dicere, quod in Dei contemptum admittitur: est què ille prudentissimus, qui non tam considerat quod justum sit, quam illum qui jussit; nec quantitatem imperii, sed imperantis cogitat dignitatem.

MONITUM. I. Observa levitatem materiæ non cadere in quodlibet lethalis peccati objectum.

Primo. *Enim* docent uno ore Theologi, quod in peccatis quæ Deum vel Religionem ipsam immediatè petunt, qualia sunt infidelitas, desperatio, blasphemia, idolatria, dæmonum invocatio, perjurium, simonia &c. Non detur levitas materiæ; hæc enim peccata integrum in divinam majestatem irreverentiam in se continent: imò tantum abest, ut ex levitate materiæ minuantur; quin potius interdùm ex illâ materiæ levitate peccati gravitas augeatur, ut pater in eo qui pro re levissimi momenti, putâ pro pomo, pro denario pejerat, blasphemat, dæmonibus se devovet.

2º. Communis est etiam celebriorum Theologorum Doctrina, quod in peccatis luxuriæ nunquam in praxi detur materiæ levitas; luxuries enim, inquiunt, quantumvis exigua, si plena voluntate eligatur, ob effrænem concupiscentiæ imperum, invictissimè voluntatem trahit ad consensum actus completi, ac proinde ubi accedit plena deliberatio, numquam in praxi luxuriæ ac-

tibus, quantumvis levissimi momenti videantur, materiae levitas contingere potest.

M O N I T U M . II. Observa difficile admodum esse hic & nunc in praxi definire quando voluntatis in malum consensus plenus sit, seu ad lethale peccatum sufficiat, & quandonam plenus non sit, & à peccato mortali excusat. Hæc tamen proponi possunt signa, quæ lucem aliquam rei adeò obscuræ afferre queunt.

1°. Si pœnitens sic se dignoscat interius habitualiter affectum, ut nollet peccatum committere, etiam si posset commodè, signum est, consensum plenum & ad mortale peccatum sufficientem non adfuisse: si verò sic se interius affectum noverit, ut occasione datâ peccatum admitteret, signum est è-contrà, consensum plenum & ad peccatum mortale sufficientem intervenisse.

2°. Si pœnitens conscientiæ sit timoratae, soleatque ut plurimum ad peccati conspectum horrescere, conjici potest consensum plenum non fuisse præbitum, licet in repellenda tentatione aliquantulum fuerit negligens; si verò largæ sit, ut aiunt, conscientia, nec multum peccata horrere soleat, cum è contrà deliberate consensisse quasi pro certo habendum est.


3°. Si pœnitens tentatus circa peccata carnalia, quæ membris exterioribus complentur, ad externum opus non transiit, etsi id commodè, & in puncto etiam coram hominibus potuerit, signum est, plenum non fuisse consensum; si verò metu solius pœnæ oblatâ peccandi occasione usus non fuerit periculum est ne plenè consenserit.

Conclusio secundi Tractatus.

Ex his , quæ in hoc secundo tractatu explicuimus . intelligi facile potest . 1° . Quod actus moralis ille sit qui sit cum cognitione ium objecti , tum finis , tum circumstantiarum , & cum eā libertate , quā poni possit vel omitti ; ita tamen ut virtualis , tum cognitio , tum libertas sufficiat .

2° . Quod actus bonus ille sit qui cum regulis motum planè consenit , tum ratione objecti , tum ratione finis , tum ratione circumstantiarum ; malus econtra ille habendus sit qui vel in uno deficit , hoc est , vel in objecto , vel in fine , vel in circumstantiis , immo vel in una tantum circumstantia .

3° . Denique quod virtutum & vitiornum , tum distinctiō , tum inæqualitas ex eorumdem objectis finibus & circumstantiis desumatur , quodque peccatum lethale sit actus plenè deliberatus legi contrarius in materia gravi ; veniale vero sit actus legi repugnans , vel in materia levi , vel sine plenâ deliberatione : quæ quidem tria explicanda suscepseramus .



TRACTATUS TERTIUS.

*De internâ actuum humanorum regula
scilicet de conscientiâ.*

D Uplex est actuum humanorum regula , interna , & externa interna est conscientia operantis : externa est ipsa lex . A conscientia

tiā ordimur, quōd interna nobis sit. Atque, ut certā cum methodo, quæ de eā tradenda sunt explicemus quæremus. 1^o. Quid & quotuplex sit conscientia. Deinde de singulis conscientiæ speciebus sigillatim agemus; simulque statuemus quænam conscientia sit certa morum regula; quæ verò non.

CAPUT I.

Quid & quotuplex sit Conscientia.

Conscientiæ nomine non hīc intelligimus insitam in omnium animas boni & mali notitiam; sed actum quo mens nostra judicat aliquid hīc & nunc esse agendum tanquam bonum, seu legi conforme, vel omittendum esse tamquam malum, seu legi contrarium. Unde vocatur à Basilio *ratiōnale iudicatoriū homil.* in principi. Proverb. & à Gregorio Nazians. oratione 15. *verum & domesticum tribunal.*

Cum autem internum illud mentis nostræ judicium circa bonitatem aut malitiam operis hīc & nunc agendi multiplex sit, ideo & multiplex quoque conscientia distinguitur.

1^o. Enīm alia est *vera*, alia *erronea*. *Vera* est conscientia, quandō mentis nostræ judicium legi est conforme; *erronea* verò quando judicium illud legi non est conforme.

2^o. Alia est *certa*; alia *dubia*. *Certa* est conscientia quandō mentis nostræ judicium de bonitate, aut malitiā operis hīc & nunc agendi certum est seu firmum; *dubia* verò

quandò mentis nostræ judicium circa bonitatem aut malitiam operis hic & nunc agendi æqualibus utrinquè rationum momentis suspenditur, neque mens in unam potius partem, quam in aliam inclinat.

3º. Alia est *scrupulosa*; alia *lata*. *Scrupulosa* est conscientia; quandò mens nullis innixa rationibus sed vanis tantum suspicionibus agitata & inanibus mali speciebus delusa formidat, nè peccatum sit quod re vera non est peccatum, aut ut grave judicat, id quod non est nisi leve; *lata* vero est conscientia, quandò mens nostra ex levissimis, & quidem cupiditati faventibus, argumentis judicat hic & nunc id esse licitum quod tamen est illicitum.

4º. Denique alia est *probabilis*; alia *non probabilis*. *Probabilis* est, quandò mentis nostræ judicium non evidenter quilem; sed tamen gravibus nititur rationibus seu aptis ad determinandum viros pios & prudentes ad assensum non tamè sine formidine partis oppositæ.

Inprobabilis vero, quandò mentis nostræ judicium de bonitate, aut malitia operis, vel nullis, vel levibus nititur rationibus.

C O N S E C T A R I U M. Ex traditâ conscientiæ definitione & divisione facile intellegi potest, quod numquani liceat agere contra conscientiam; nec tamen liceat semper agere ex conscientiâ qualicumque, qua cum gravissimi sint momenti sequentibus propositionibus cum suis consectariis more solito declarabimus.

I. P R O P O S I T I O. Numquam licet

agere contra conscientiani quamvis erro-
neam.

Probatur. 1. Script. ex Apost. ad. Rom. 14. v. 23. *omne quod non est ex fide pecca-
tum est.* Hoc est ut vulgo tradunt interpre-
tes quod non est conforme dictamini con-
scientiae est illicitum. Unde D. Bernard. de
dispensat & præcept. cap. 14. *sive itaque
malum putas bonum quod forte agis, sive bo-
num, malum quod operaris, utrumque pecca-
tum est; quia neutrum ex fide.*

2. Ex codem Doctore *ibidem*, ille pec-
cat qui bonum agit quod malum credit, cuius
eam rationem affert Mellifluus Doctor: li-
cet enim rectum sit quod operatur *iniquè*
tamen operando ut ait seu credendo malum
*id quod bonum est, bonum sibi in malum ver-
tit, & tantum malum quantum crediderit.*

3. Ratione. Qui liberè consentit in pec-
catum, seu qui peccati malitiam amplecti-
tur haud dubiè peccat. Atqui ille qui agit
contra conscientiam etiam erroneam liberè
consentit in peccatum ejusque malitiam am-
pletebitur cum illud propriâ voluntate eligat
quod credit esse malum ac proinde legem
contemnat, vel ea committendo quæ credit
lege præcipi, vel ea admittendo quæ putat
lege prohiberi ergo peccat vide. D. Thom 2.

2. q. 19. a. 5.

CONSECTARIUM. I. Peccat qui bo-
num facit quod ex conscientia erronea cre-
dit esse malum, aut malum omissit ad
quod ex errante conscientia teneri se exis-
timat. Quia in utroque casu agit contra dic-
tamen rationis.

Sic peccat qui ex errante conscientia illicitum esse credit hereticis, infidelibus, peccatoribus etiam in gravi necessitate constitutis opitulari si stante tali iudicio eis opituletur: Et si enim eleemosina erga omnes homines sit bona, eam tamen hic & nunc illicitam censet.

Sic etiam peccaret ille qui coram iudice falsum juramentum non praestaret si ex conscientia erronea crederet teneri se ad falsum illud juramentum pro conservanda vita tum propriâ tum alienâ, quia scilicet id omitteret ad quod teneri se existimaret.

C O N S E C T A R I U M . II. Qui ex conscientia erronea credit se teneri ex præcepto ad aliquid, vel faciendum vel, ommittendum, ad quod re vera non tenetur, peccat; si primum non faciat, & posterius non omissit, in utroque enim casu agit contra conscientiam.

Sic qui ex errore conscientiae consilia Evangelica, ut præcepta haber, peccat, si ea non sequatur v. g. qui putat se teneri ex præcepto ingredi religionem peccat, si non ingrediatur.

Sic qui putat diem esse jejunii, quamvis re vera non sit, peccat si non jejunet.

C O N S E C T A R I U M . III. Qui aliquid omissit vel facit ex se indifferens. Si putet id lege, vel præcipi, vel prohiberi, peccat si non faciat quod putat imperatum, vel non omissit quod credit prohibitum; in utroque enim casu agit contra conscientiam.

Sic peccat ignara plebecula dum profert
verba

verbâ quædam affirmantia , qualia sunt , certes , en veritate , &c. Etsi sint ex se indifferenteria , si ex errante conscientia ea credat illicita.

Sic ex D. Thom. loco supra citato , peccaret ille qui non levaret festucam , si ex errante conscientia se ad id teneri existimaret.

C O N S E C T A R I U M IV. Peccatum tale est , quale per conscientiam erroneam judicatur ; voluntas enim fertur in objectum , ut ei proponitur per conscientiam ; ergo agens tale peccatum admittit , quale putat admittere ; magis enim attendenda est intentio , quam ejus actio ; voluntas quippe est , inquit Aug. lib. 1. retract cap. 9. qui peccatur , aut recte vivitur ; Homo enim videt quæ parent ; Deus autem intuetur cor.

Sic , qui ex conscientiâ erroneâ credit id quod est tantum veniale esse mortale , si illud committat , peccat mortaliter : error , inquit D. Thom. Quo creditur esse mortale , quod non est mortale , ex conscientiâ ligat ad peccatum mortale , quodlib. 9. art. 5.

P R O P O S I T I O II. Licet numquam possumus agere contra conscientiam , non tamen licet semper agere ex conscientiâ .

Probatur 1º. Ex Scriptorâ : Est via quæ videtur homini justa , novissima autem ejus ducunt ad mortem . Prov. 14. v. 12. Ergo non semper immunes sumus à peccato , ubi solius conscientiæ dictamen sequimur.

2º. Ex D. Thom. quodlib. 8. a. 13. Quod agitur contra legem , quæ nimirum potuit & debuit cognosci : Semper est malum , nec ex Tom. I.

cusatur per hoc quod est secundum conscientiam: Ergo ex D. Thom. non semper immunes sumus à peccato, ubi solius conscientiae dictamen sequimur.

3^o. Ratione. Conscientia nostra sæpe legi, & ordini vitio nostro adversatur; ergo non semper licet agere ex sola conscientia.

C O N S E C T A R I U M unicum Hinc patet, quanti sit momenti inquirere, quænam conscientia sit morum regula, quæ verò non; quod quidem sequentibus capitibus declarare conabimur.

C A P U T II.

Quæ requirantur, ut conscientia sit morum regula.

P R O P O S I T I O I. Ut conscientia sit morum regula, debet esse vera, seu legi conformis, vel saltem inculpatè præsumi vera.

Probatur 1^o. Ex Scripturâ. Math. 15. v. 14. *Si cæcus oculo ducatum præfet, ambo in foiveam cadunt:* Ergo non excusat à peccato conscientia, nisi sit vera, seu legi consonans: cæcus enim est qui sequitur conscientiam legi contraria; unde Ecclesiastici. cap. 37. v. 21. dicitur, *Ante omnia opera verbum VERAX præcedat te.* Quibus verbis innuitur solam veritatem esse morum regulam.

2^o. *Peccare nihil est aliud quam in veritatibus præceptis, vel in ipsa non stare veritate.* Ut loquitur Aug. vel saltem Evodius lib. de

fide contra Manich. cap. 8. qui liber inter opera August. vulgo circumfertur, et si Eudio tribuatur. Unde diabolus dicitur peccare, eò quod in veritate non steterit, ut habetur. Joan. 8. v. 44. Reprobi quoque in inferno, sic se palam profitentur peccatores: *Ergo erravimus à via veritatis.* Sap. 5. v. 6. De justo Tobia dicitur: *In captivitate positus, veritatis viam non deseruit* Tob. 1. v. 2. & de peccatoribus generaliter afferitur: *Errant qui operantur malum.* Prov. 14. v. 22. Ergo ut operatio sit recta debet esse secundum veritatem, seu legi conformis.

3°. Ex D. Bernardo. lib. de precepto & dispensatione. cap. 14. *Ut interior oculus vere simplex sit,* inquit, & proinde vera regula operandi: *Duo illi arbitror necessaria esse, charitatem in intentione, & in electione veritatem;* nam si bonum quidem diligat, sed verum non eligat; habet quidem zelum Dei, sed non secundum scientiam, & nescio quemadmodum iudicio veritatis vera esse possit cum falsitate simplicitas. Ergo ut conscientia sit motum regula debet esse vera, seu legi conformis; inde est quod Scriptura loquens de lege, quae nobis est agendi regula, dicat quod lex VERITAS est, & Christus Legislator noster de se loquens, dicit. *Ego sum via, VERITAS & vita.*

4°. Ratione. Conscientia eatenac tantum est motum regula, quatenus est recta legis applicatio; unde Deus Deuter. 32. v. 8. sic sancit: *Non facietis... singuli quod rectum sibi videatur:* sed ut subjicit v. 32. *Quod praecepio tibi, hoc tantum facito.* Atqui conscientia

tia non est recta legis applicatio , nisi sit eidem legi conformis , aut saltem inculpatè præsumatur conformis ; ergo conscientia non est morum regula , nisi sic vera , aut saltem inculpatè præsumatur vera .

Dixi vel saltem inculpatè præsumi vera ; quia et si sola veritas per se sit morum regula juxta illud Christi . Joan . 12 . v . 48 . *Sermo quem locutus sum , ille judicabit eum , id est mundum ; in novissimo die , & juxta illud Pauli ad Rom . 2 . v . 16 . Judicabit Deus occulta hominum secundum Evangelium meum , per Jesum Christum ; à peccato tamen excusamur , ubi ex errore invincibili contra ipsam veritatem , seu legem agimus , juxta illud Christi : Si non venissem & locutus fuissetis , peccatum non haberent . Joan . 15 . v . 22 .* Ubi innuitur Judæos per ignorantiam excusandos est ; quia scilicet error invincibilis voluntarium collit , sine quo non constat peccatum . Quando autem adsit error ille invincibilis . & ubi locum habeat , dicemus posse ubi de lege .

Consecularia hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I . Totiès peccamus , quotiès conscientiam sequimur legi non conformem ; si error , quo conscientia falsa vera præsumitur , vincibilis sit , seu vinci debuerit ac potuerit ; ut enim conscientia sit morum regula . debet esse vera , vel saltem bona fide præsumi vera .

Sic peccant , qui ex conscientia , quam fibi pro libito efformarunt , ut licitum habens

id, quod per quoddam ex decem Decalogi preceptis prohibetur, v. g. idololatriam, perjurium, irreligiositatem, blasphemiam, votorum violationem, parricidia, homicidia, furta, fornicationes, &c. quia quamvis circa hæc infanda crimina nihil eos conscientia remordeat, tamen rei sunt; quia error talis est, ut possit & debeat vinci: si enim malum quod ex ignorantia vincibili facimus, veram peccati deformitatem non habet; ergo, ut optimè monet D. Bernardus, non imitandus est, sed irridendus Propheta dicens: *Delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris.* Ergo male Pontifex offerebat sanguinem pro suâ & populi ignorantia; ergo non peccavit Saulus quando ignorans persecutus est Ecclesiam Dei, nec misericordiam consequi debuit, sed mercedem, quia innoxius fuit æmulator paternarum traditionum; ergo innoxii fuerunt tyranni occisores Apostolorum & Martyrum; quia putabant obsequium se præstare Deo; ergo frustrà in cruce salvator orabat pro suis persecutoribus, quippe nescientibus, ipso teste, quid facerent, & ita nequaquam peccantibus: *Numquid hinc apparat, ut concludam cum D. Bernardo, in quantis jaceat ignorantiae tenebris, qui ignorat peccari posse interdum per ignorantiam, & proinde conscientiam culpabiliter erroneam non posse esse agendi regulam.* Bernard. Epis. 77. ad Hugonem à sancto Victore. Verùm de his fusius infrà, ubi de ignorantia.

CONSECTARIUM II. Totiès immunes sumus à peccato, licet forte agamus con-

tra legem , quoties errantem conscientiam sequimur , quam ex errore invincibili bona fide presumimus veram ; quia ut conscientia sit motum regula , sufficit quod vel sit vera , vel bona fide presumatur vera .

Sic confisi in misericordia Dei possumus ut licet habere id omne , quod in simplici corde putamus conforme divinae legi , quamvis forte eidem legi non concordet ; si enim ignorantia invincibilis non excusat coram Deo male diceret Abimelhec : *Dominus num gentem ignorantem & justam interficies :* Ut excusaret se a detestatione Sarai , quam uxoratam ignorabat , male etiam respondisset Deus : *Et ego scio quod simplici corde feceris.* Gen. 10. Male diceretur peccatum esse voluntarium , cum ibi esset peccatum , ubi nulla esset nec formalis , nec virtualis , ut aiunt , cognitio . Demum male diceretur quod Deus impossibilia non jubet ; cum ea ignorantia nobis imputaretur ad culpam , quam nullo modo possumus vincere .

Non diffiteor tamen sacerdotiis nos decipi specie recti , & bonam fidem presumere , ubi non est ; sicuti enim Sathanas transfigurat se aliquando in Angelum lucis ; ira & concupiscentia induit speciem charitatis , & vitium velat se pallio probitatis : & saepius evenit , ut docet Greg. lib 4. moral. cap. 7. noxae editionis , ut id quod rectum credimus , causa sit nostrae damnationis : *Nonnumquam , inquit , ea ipsa , quae recte nos agere credimus , an in districti judicis examine recta fuit ignoramus ; saepè enim , sicut ex longè su-*

perius diximus, opus nostrum causa damnationis est, & proiectus putatur esse virtutis; scilicet unde placari iudex creditur, inde ad irascendum placidus instigatur; Salamone attestatur, qui ait: Est via quæ videtur homini recta, novissima autem ejus ducunt ad mortem: Unde sancti viri cum mala superant, suæ uiam bene gesta formidant: ne cum bona ageare appetunt, de actionis imagine fallantur; ne pestifera tabes puerinæ sub boni specie lateat coloris.

P R O P O S I T I O N E II. Ut conscientia sicut morum regula, debet esse certa, hoc est firmiter & sine formidine partis oppositæ judicare debemus actum, quem elicimus, esse legi conformem.

Probatur 1^o. Ex Scripturâ. Ecclis. 37. v. 21. *Ante omnia opera tua verbum verax procedat te, & ante omnem alatum CONSLIUM STABILE;* ergo conscientia ex qua agimus certa debet esse, & firma; id enim significant voces istæ: *Consilium stabile.* Deinde ait Apostolus ad Rom. 14. v. 23. *Quod non est ex fide, percatum est;* Ergo non excusamus à peccato, dum conscientiam sequimur, quæ certa non est; ex fide enim agere, idem est ac ex conscientia, sive ex persuasione, operari, uti exponit Clerus Gallicanus ann. 1700, in regula de probabilitum usu.

2^o. Ex Aug. lib. 50. homil. 41. Ubi loquens de eo, qui ad finem vitæ poenitentiam differt, pro certo principio statuit, non agendum esse in dubio, sed à dubio excundum. *Vix ergo, inquit, à dubio liberari, vis, quod.*

incertum est , evadere , age pænitentiam dum sanus es , si sic agis , dico tibi quod securus es : quia pænitentiam egisti , eo tempore quo peccare posuisti . Ergo sicut sanctus Doctor vult , ut è statu dubio examinamus , ita & vult , ut sententiam dubiam deponamus , & non agamus secundum sententiam dubiam , & incertam .

3°. Ex Gregor. in cap. 40. Job. lib. 32. cap. 18. Ubi ostendit perplexitatem provenire à suggestione Diaboli , & proinde non posse esse agendi regulam ; ergo ut conscientia sit morum regula non debet esse dubia , vel perplexa ; sed certa , & firma .

4°. Ex D. Thom. quodlib. 8. a. 13. Ubi agens de conscientiâ , quæ potest esse morum regula requirit , quod non sit dubia , sed certa . Ex conscientiâ , inquit , obligatur aliquis ad peccatum , id est ligatur tamquam reus peccato ; sive habeat certam fidem de contrario ejus quod agit ; sive etiam habeat opinionem cum aliqua dubitatione Cum autem conscientia ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur , seu cum est certa , agens sic non committit se discrimini , nec peccat . Ergo ut conscientia sit morum regula debet esse certa .

Ex D. Antonino I. P. tit. 3. §. 10. Ubi sanctus Doctor requirit ad licitam operationem , ut quis , Ex contrarietate opinionum non inducatur ad dubitandum ; sed bonam conscientiam , & credulitatem formet de eo quod credit tamquam probabiliori parti ; Ergo supponit sanctus Doctor ad licitam operationem haec firmum esse debere conscientiæ judicium ,

et dubium excludat & formidinem partis oppositæ.

Ratione. Qui non est certus, sed timeret cum fundamento, nè conscientia ex quâ agit sit legi conformis, exponit se peccandi periculo; actionem enim elicit timens cum fundamento, ne ea sit legi contraria: Ergo conscientia non est morum regula, nisi sit ita certa, ut excludat formidinem partis oppositæ; neque enim conscientia, quæ exponit peccandi periculo, potest esse morum regula.

Deinde qui timeret cum fundamento ne legi contrarium sit opus quod elicit, legem Dei censetur negligere; quemadmodum is amicum censetur negligere, qui timens ne aliquid ei esset ingratum, illud tamen non omitteret. Atqui non licet negligere legem Dei, ut per se notum est. Ergo non licet agere ex conscientia, quæ non sit certa.

Consecratio hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Ut licita sit operatio non sufficit actionem quam elicimus esse legi conformem; sed & præterea certi esse debemus, quod ea sit legi conformis. Quandiū enim non adest certitudo; sed cum fundamento timemus, ne legi contrarium sit quod operamur, peccandi periculo nos exponimus, imò legem Dei negligere censemur, si spretâ hujusmodi formidine in actu protrumpamus.

Sic ex Apostolo 1. ad Corint. 8. v. 7. Licet illicitum non sit Idolothytis vesci peccant tamen qui idolothytis vescuntur cum conscientia

tiā infirmā , Hoc est non firmā & certā ; sed timentes , ne illud illicitum sit.

CONSECTARIUM II. Ut licita sit operatio , non sufficit certitudo qualiscumque de bonitate operis , quod elicimus ; sed ea debet dubium excludere , & formidinem partis oppositae ; nec excusamur à peccato , si stante tali dubio , seu formidine in actum prorumpamus , et si forte is legi conformis sit ; ut enim conscientia sit morum regula , ita certa debet esse , ut firmum sit mentis nostræ judicium , & formidinem partis oppositae excludat. Ita D. Thom. quodlib. 8. a. 13. Ubi supponens sanctus Doctor quod sententia quæ assentit , licitum esse plures habere præbendas sit vera , sic loquitur de eo qui eam sequitur. *Aut talis , inquit , habet conscientiam de contrario , & sic peccat contra conscientiam faciens , quamvis non contra legem , aut non habet conscientiam de contrario , sed CERTITUDINEM , sed tamen in QUAM-DAM DUBITATIONEM inducitur contrarietate opinionum , & sic si manente DUBITATIONE plures præbendas habet periculo se committit , & sic procul dubio peccat , uspote magis amans beneficium temporale quam propriam salutem : Aut ex contrariis opinionibus in nullam DUBITATIONEM adducitur , & sic nec committit se criminis ; nec peccat.*

CONSECTARIUM III. Conscientia dubia non est morum regula , imò nec ea quæ merè probabilis est ; neutra enim formidinem excludit partis oppositae , ut fusè deinde explicabimus.

PROPOSITIO III. Ut conscientia sit

motum regula, non est necesse, quod sit semper *Metaphysicè certa*; sed sèpè sufficit quod sit solum *Moraliter certa*, quod priùsquam probetur.

Nota 1^o. Conscientiam dici *metaphysicè certam*, quandò ex principiis adeò certis & infallibilibus oritur ejus certitudo, ut citrà ullum errandi periculum judicemus, id quod agimus esse legi conformè; quæ certitudo totiès occurrit, quotiès, aut ex revelatione, aut ex recta ratione evidenter colligimus, actionem quam elicimus esse legi conformem.

Sic ex conscientiâ *metaphysicè certâ operamur*, cum ex hoc fidei principio, *Verbum est incarnatum*, colligimus Christum, ubicumque sit, esse adorandum; aut dum ex hoc principio naturaliter noto, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, colligimus non esse surandum, non esse mœchandum, &c.

Nota 2^o. Conscientiam dici *moraliter certam*, quando oritur ejus certitudo ex principiis absolutè quidem fallibilibus, sed ut plurimùm certis & raro fallibilibus; quæque viros prudentes movere solent, ut certum affirmum ferant judicium. Quæ certitudo totiès occurrit, quotiès, in praxi prudenter & firmiter judicamus, actum quem elicimus esse legi conformem.

Sic judex, qui ex actis Notarii publici, & jurati judicat, conscientiam habet moraliter certam; quia licet absolutè Notarius quatenus homo possit fallere; ex eo tamen quod sit Notarius publicus, & juratus, moraliter presumitur non mentiri; sicque viri prudentes de hujusmodi actis judicare solent, quan-

96 MORALIS CHRISTIANA.
diū non constat de eorum falsitate.

Probatur itaque propositio 1°. ex Scripturā, ait Apostolus, ad Rom. 14. v. 5. *Unusquisque in suo sensu abundet.* Hoc est ut explicat Glossa, *agit secundum suam conscientiam,* vel ut explicat Ambr. quisque suo remittatur consilio; in his scilicet quæ obscura sunt; modo, ut monet Leo Papa distic. 14. c. vii. sicut quedam *In his quæ dubia sunt aut obscura, id noverimus sequendum: quod nec præceptis Evangelii is contrarium: nec decretis sanctorum Patrum inveniatur adversum.*

2°. Ex D. Tho. 1. 2. q. 96. a. 1. ad 3. Non est eadem certitudo quærenda in omnibus *Vnde in rebus contingentibus, sicut sunt res naturales & res humanæ, sufficit talis certitudo, ut aliquid sit verum, ut in pluribus; licet interdum deficiat in paucioribus.* & q. 105. a. 4. ad 8. sic habet. *Dicendum quod in negotiis humanis non potest haberi demonstrativa probatio & infallibilis, sed sufficit aliqua conjecturalis probabilitas,* secundum quod Rhetor persuadet; & ideo licet sit possibile duos aut tres testes in mendacium convenire, non tamen est facile nec probabile quod convenienter; & ideo accipitur eorum testimonium tamquam verum; Ergo ut conscientia sit morum regula sufficit quod sit moraliter certa.

3°. Ex Div. Antonino 1. P. T. 3. cap. 10. §. 10. in fine. *Certitudo quæ requiritur in materia morali, non est certitudo evidentiæ, sed probabilis conjecturæ ... Disciplina optima est in unâquâque re certitudinem querere juxta exigentiam materiæ; æque enim vilius est persuadentem querere mathematicum & moralem.*

tem demonstratiem; non enim consurgit certitudo moralis ex evidentiā demonstrationis, sed ex probabilitib⁹ conjecturis, grossis, figurabilib⁹ magis ad unam partem quam ad aliam se habentibus. Dicitur autem probabile, quod pluribus & maximè sapientibus apparet verum. Ex his igitur, sequitur, quod in humanis agibilitib⁹, quæ tantam habent varietatem, teste Aristotele & experientia, sufficit talis certitudo, quæ non semper scrupulos omnes abficiat; sed sufficit, ut contemnat seu superet eos. . . . Ista autem certitudo moralis colligitur, vel ex alterius autoritate... vel ex propria eruditio- ne... vel ex circumspectione circumstantiarum. Ergo ut conscientia sit morum regula, non est necesse quod sit metaphysicè certa.

3. Ratione. Impossibile est ut in omnibus viræ nostræ actionibus certitudinem habeamus metaphysicam, quod sint legi confor- mes; ergo sufficit quod habeamus certitudinem moralem; nequè enim Deus impossibili- lia nobis præcipit. Unde meritò damnata est à Clero Gallic. hæc propositio tanquam erro- nea: *Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam, quâ scilicet innuebatur solum evidentiæ certitudinem esse tutam morum regulam.*

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Non peccant fidèles, qui nullius letalis culpæ sibi consciē bona fide sacramenta recipiunt, quæ statim gratiæ requirunt; licet enim certitudinem non habeant evidentiæ quod sint in statu

gratiæ , moraliter tamen certi sunt , ubi conscientia nihil remordet , sed bonum testimonium reddit. Idemque dicendum de Sacerdotibus , qui cum eadem certitudine , quod sint in statu gratiæ , vel Missam celebrant , vel Sacraenta fidelibus conferunt. Ita Gersonius de contractibus proposit. 13. circa medium. *Probabilis* , inquit , certitudo sufficit in moralibus , ut non exponat se quis periculo , ut dicunt Doctores de celebrazione Missam & similibus , ubi requiritur status gratiæ , quod sufficit ad hoc probabilis conjectura ; quia certitudo alia sine revelatione non habetur.

C O N S E C T A R I U M II. Non peccat Minister pœnitentiæ , qui pœnitentibus absolutionem impartitur , ubi , habitâ ratione omnium circumstantiarum , prudenter judicat eum sufficientem habere de peccatis suis dolorem ; licet enim absolute fieri possit , ut pœnitens dolorem simulat ; pœnitenti tamen credendum est , quando nullus occurrit dubitandi locus , quod mentiatur ; neque enim Sacerdos aliam in tribunali pœnitentiæ certitudinem habere potest.

C O N S E C T A R I U M III. Non peccat Judex ubi ex depositione duorum testium , aut ex actis publicis judicat , quamdiu nihil est quod testium aut instrumentorum fidem destruat : licet enim , ut supra diximus , & falsi testes , & falsa instrumenta esse possint ; judici tamen sufficit certitudo , quæ ex depositione testium , aut ex actis publicis oritur , quia scilicet alia in rebus civilibus , ut plurimum haberi non potest.

C O N S E C T A R I U M IV. Non peccat qui

in dubio salutis Past rem suum, vel Confessarium consultit, quem virum prudentem, ac satis eruditum existimat, si pastoris sui, vel confessarii judicium seu decisionem sequatur. Tuac enim Pastoris, vel Confessarii autoritas reddit eum moraliter certum de re, de qua anteā dubitabat. Deinde sincerè facit quod in se est, ut veritatem agnoscat, ac proinde immunis à peccato censiū debet. Adde quod si hæc certitudo non sufficeret, rustici, & alii omnes rudiiores, ac præsertim mulierculæ numquam ferè in tutâ conscientiâ esse possent. Neque enim vulgo alios consulere possunt, quam pastores, & confessarios, dum dubiis exagitantur. Denique Deus in Scriptura mittit nos ad pastores, ut in dubiis nostris nos instruant. Et certè si rusticus prudenter facit, si credat quod ei parochus credendum proponit: quidni igitur prudenter faciet in materia morum, si ex consilio & autoritate ejusdem Parochi operetur.

M O N I T U M. Observa tamen non immunem fore à peccato cum, qui Parochi, aut confessarii sui judicium sequitur, quando legi non est conforme, si consulens bonâ fide non agat, & cum sincerâ veritatis cognoscendæ voluntate, ut autem bonâ fide agat requiritur. 1°. Ut credat confessarium esse satis peritum, & pium. 2°. Ut Doctores non querat quos sciat laxiorum opinionum esse sectatores. 3°. Ut cum fundamento non suspicetur acceptum à Parocco, vel Confessario decisionem contrariam esse rectæ ratione, vel doctrinæ à sanctis patribus vel à gravioribus Doctoribus traditæ.

Ex quo intelligitur eum qui aliquando, ^{ut} à conscientiâ decisionem sui confessarii secutus est teneri sub pœnâ peccati conscientiam, & agendi rationem mutare, aut saltem quæstionem melius explorare, statim atque, vel ex lectione factâ, vel ex concione auditâ, vel aliundè justum habuit fundamentum suspicandi decisionem acceptam non esse cum lege consentaneam; tunc enim ejus conscientia desinit esse moraliter certa & formidinem non excludit partis oppositæ, v. g. Petrus audit à suo Confessario vel Parrocho se in talibus circunstantiis licite posse exigere *interesse*, ut dicunt, ex mutuo quod alteri tradidit; deinde verò ab alio audit se in iisdem circunstantiis nullatenus posse præfatum *interesse* tutâ conscientiâ accipere propter rationes quæ ipsi explicatae graves sibi apparent. Petrus hucusque bona fide agendo non peccavit hujusmodi *interesse* accipiens; immo non tenetur ad restitutionem illius quod cum tali bona fide consumpsit; sed tamen tenetur hinc & nunc propter subortam suspicionem sine negligenti mora examinare an re ipsâ licite possit idem *interesse* exigere. Quod si ex rationibus recenter ipsi exhibitis indicaverit hujusmodi *interesse* illicitum esse, peccavit impostorum, si priori decisioni velit adhærere: Verum de his suis in sequentibus capitibus; ubi de conscientiâ dubiâ, probabili & scrupulosâ acturi sumus.

CAPUT III.

De Conscientia dubia.

Nota 1. Conscientia dubia : ut diximus, est suspensio judicij de bonitate, aut malitia operis hic & nunc agendi, quæ oritur ex eo quod mens utrinque rationes, vel æqualiter validas, vel æqualiter ambiguas deprehendat, & quâ sit ut in unam potius partem quam in aliam non inclinet; hoc est, incerta sit, licitum ne sit, an illicium opus quod hic & nunc agendum occurrit.

Nota 2. Qui conscientiam habet dubiam, vel actionem potest diffire, vel agendi necessitate prematur; quid in utroque illo dubitantis conscientiae statu agere nos conveniat, duobus articulis explicabimus.

ARTICULUS I.

Quid agendum sit in dubio, ubi actio diffiri potest.

PROPOSITIO I. Qui conscientiam habet dubiam, debet abstinere ab actione, si agendi necessitate non prematur, & peccatum alterutrum eligat, priusquam dubium deponat.

Probatur 1º. Ex Scripturâ, ait Apostolus 1. ad Corint. cap. 8. v. 7. *Quidam cum conscientia usque nunc idoli quasi idolatrium manducant: & conscientia eorum cum sit in-*

102 MORALIS CHRISTIANA.

firma: Id est dubia, cespitans, non plenè instructa, ut exponunt Interpretes, polluitur; Ergo peccat, qui agit ex conscientia dubia.

2°. Ex Clero Gallicano an. 1700. in regula de probabilium usq: Neque, inquit Gallicani patres, quisquam in dubio salutis ad actum prospiciat, nisi ipso dubio, non ad natum voluntatis, aut ex cupiditatis instinctu; sed ex recta ratione deposito, dicente Scripturâ, rationabile obsequium vestrum; & iterum: Sapiens timet & declinat à malo, stultus transilit & confidit: Postremò audiatur Apostolicum illud, omnia probate, quod bonum est tenete, & iterum, omne quod non est ex fide, id est ex conscientia sive ex persuasione, peccatum est; denique testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum, non aliorum utique, sed ipsorum & suâ.

3°. Ex sancto Antonin. i. P. tit. 3. cap. 10. § 10. Qui agit scienter id de quo dubitat esse mortale, permanente dubitatione, mortaliter peccat, etiam si illud in se non esset mortale, sumendo propriè & strictè dubitationem prout rationes sunt & quæ ponderantes ad utramque partem, nec magis declinat quis ad unam partem quam ad aliam.

4°. Ratione. Non licet in actum erumpere, nisi simus moraliter certi bonum esse opus quod elicimus, ut supra ostensum est; ergo stante dubio non licet in actum erumpere, ubi agendi necessitate non urgemur. Deinde peccat ille hanc dubitatem, qui libere, & sponte peccandi periculo se exponit; atqui ille qui, dum nulla adest agendi necessitas, erumpit in actum, de quo dubitat an

sit licitus, vel illicitus sponte, & libere peccandi periculo se exponit, si forte illicitus sit actus quem elicit; ergo in dubio salutis non licet in actum erumpere, nisi prius dubium deponatur. Quod quidem recte rationi adeò congruum est, ut ab ipsis paganis ignoratum non fuerit: *Bene præcipiunt, inquit Cicer⁹ lib. I. off. qui vetant quidquam agere, quod dubites æquum sit, an iniquum.*

Conjectaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Peccant Confessarii, & Doctores, seu casuum conscientiæ arbitrii; ubi pœnitentibus, aut consulentibus respondent aliquid esse licitum, dum dubitant, an idem sit illicitum.

Sic peccaret Doctor, aut Confessarius, qui dubitans an talis contractus sit usurarius, eum non esse usurarium, pœnitenti responderet.

Sic peccaret quoque Doctor, vel Confessarius qui dubitans, an sufficiat ad sanctificationem festorum, Missæ tantum sacrificio adesse, responderet consulenti, aut pœnitenti id sufficere, & reliqua pietatis officia posse diebus festis citra ullum peccatum omitti.

C O N S E C T A R I U M II. Peccat Sacerdos qui dubitans, an sit in peccato mortali, quamvis habeat copiam confessarii, Missam celebrat sine confessione præmissa; licet agendi necessitate non urgeatur; periculo enim se exponit instringendi legem à Tridentino latam, quā hujusmodi confessio præcipitur.

C O N S E C T A R I U M III. Peccat pñnitens , qui dubitans , an sufficientem habeat contritionem , manente tali dubio absolutionem Sacramentalem recipit ; periculo enim se committit reddendi Sacramentum invalidum.

C O N S E C T A R I U M IV. Peccant omnes qui in dubio salutis in actum erumpunt , ubi non adest agendi necessitas , v. g. qui retinet duas prebendas dubitans , an id sit licitum , vel illicitum , qui non jejunat dubitans , an sit dies jejunii . aut manducat carnes , dubitans , an sit dies abstinentiae ; hi enim omnes periculo se exponunt agendi contra legem.

P R O P O S I T I O II. In dubio salutis dubium ipsum non ad nutum voluntatis , aut ex cupiditatis instinctu , sed ex recta ratione deponi debet.

Probatur 1^o. Scripturā : *Rationabile* , inquit Apostolus , *obsequium vestrum*. Ergo ubi de dubio salutis agitur recta ratione nos duci æquum est , non voluntatis nutu , aut cupiditatis instinctu.

2^o. Ex Clero Gallicano an. 1700. ubi nostra propositio verbis expressis afferitur loco in præcedenti propositione allegato , & in cuius probationem citatur præfatus Apostoli locus

3^o. Ratione. In dubio salutis , qui dubium non ex recta ratione , sed ad nutum voluntatis , aut ex cupiditatis instinctu deponit ; nequit esse mortaliter certus , bonum esse quod eligit ; neque enim voluntas , aut cupiditas rectæ operationis sunt regula , sed potius ad-

peccatum sollicitant; concupiscentia quippe:
Et à peccato est & ad peccandum inclinat, ut
tota docet traditio; ergo in dubio salutis,
dubium ipsum non ad nutum voluntatis, aut
ex cupiditatis iustitu, sed ex rectâ ratio-
ne deponi debet. Recta autem ratio ea cen-
seri debet, quæ per fidem est illuminata: ut
satis in primo tractatu explicuimus.

Consecutaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Conscientia spe-
culativè, id est in genere dubia, an aliquid
sit licitum, vel illicitum, non potest practi-
cè, hoc est hic & nunc in praxi fieri certa,
licitum esse idem objectum per solum impe-
rium voluntatis & per propriam determina-
tionem. Primo enim dubium non potest tol-
li nisi per novam lucem rationi advenientem,
quæ mentis æquilibrium tollat. Unde qui
versans in dubio speculativo, judicat practice
in favorem sui, factum hic & nunc sibi esse
licitum absque nova ratione superveniente,
non tollit dubium suum, sed querit exce-
care se, ut sine conscientiæ remorsu agere
possit, quod ex cupiditate appetit. Deinde
docet recta ratio impossibile esse, ut quis cons-
cientiam habeat speculativè dubiam & prac-
ticè certam de eodem facto secundum eas-
dem circumstantias sumpto. Qui enim certò
judicat practice factum illud sibi esse lici-
tum, necesse est, ut judicet idem factum in
iisdem circumstantiis esse semper licitum, &
viceversa si dubitet speculativè an, tale fac-
tum in talibus circumstantiis possit esse lici-

tum, necesse est ut dubitet *practicè*, an idem factum in iisdem circunstantiis hic & nunc possit sibi esse licitum, nisi saltem adveniat nova ratio, quæ dubium tollat. Verum si ea ratio tollat dubium *practicum*, tolleret etiam & *speculativum* respectu ejusdem actus.

Sic, si quis dubitet *speculativè*, an licet pro conservanda vitâ exterius negare Deum, cum urget tyrannus; non potest esse certus *practicè*, licitum sibi esse pro conservanda vitâ falsam religionem exterius fingere; quod si forte judicet talēm fictionem esse licitam, illud judicium oritur ex inordinato amore mortalis hujus vitæ, & proinde peccat tale judicium ferens.

Sic, si quis dubitet *speculativè*, licet ne *æquivocè* jurare, cum compellitur à judge juramentum præstare; ille idem non potest sibi fingere licitum esse, *æquivationem* juramento admiscere; quod si ita judicet, illud judicium ex cupiditate oritur, & non ex recta ratione; & proinde peccat tale judicium sequens.

C O N S E C T A R I U M II. Dum agitur de deponendo dubio, sinceram debemus habere inveniendæ veritatis intentionem; primò enim id recta ratio suadet, deinde ad illud nos invitat Scriptura Prov. 2. v. 2. Inclinat cor tuum ad cognoscendam prudentiam & Eccl. 31. v. 19. *Qui querit legem replebitur ab ea, & qui infidiose agit scandalizabitur in ea.*

C O N S E C T A R I U M III. In dubio salutis constituti debemus ad Deum preces sedu-

las fundere; primò enim recta ratio docet Deum totius veri luminis esse fontem, unde à Jacobo Pater luminum dicitur; secundò, ad illud nos hortatur Scriptura Eccli. 37. v. 19. *Deprecare aliissimum, ut dirigat in veritate viam tuam,* & Jacobus cap. 1. v. 5. *Si quis vestrum, inquit, indiget sapientiam postulet à Deo qui dat omnibus affluerter, & non improberat, & dabitur ei.*

C O N S E C T A R I U M IV. In dubio salutis, non negligenter, sed sedulò curare debemus, ut veritatem agnoscamus; primò enim postulat recta ratio, ut in negotio salutis non minorem adhibeamus curam, quam in negotiis temporalibus; secundò his solum Scriptura promittit sapientiam, qui sedulò eam querunt, juxta illud Prov. cap. 2. v. 4. *Si quasieris eam, sapientiam, quasi pecuniam & sicut thesauros effodieris eam;* tunc intelliges timorem Domini & scientiam Dei invenies.

C O N S E C T A R I U M V. In dubio salutis aliorum consilio uti maximè expedit; primò enim docet recta ratio, ut sicut dum agitur de re temporanea, quæ gravis est momenti, propriæ sapientie non acquiescimus, ita & dum agitur de salute æterna, aliorum consilium non negligamus; deinde verum omnino est quod vulgo dicitur: *Unumquemque in rebus suis cœcutire, & alios licet vel minus eruditos videre clarius.* Unde illud sapientis Prov. 3. v. 7. *Ne sis sapiens apud temetipsum, & illud Christi, quid autem vides festucam in oculo froris tui, & trabem in oculo tuo non vides.*

108 MORALIS CHRISTIANA.

CONSECTARIUM VI. In capessendo consilio non quoscumque , sed eos quos novimus & doctiores & sanctiores debemus adire ; doctiores quidem ; si enim suadente ratione doctiores Medicos & Jurisperitos consulimus , quidni doctiores Theologos consulamus , præsertim dicente Christo : *si cæcus cæco ducatum præstet , ambo in foveam cadunt.* Sanctiores verò cum enim teste Scripturæ sup. I. v. II. *In malevolam animam non introcat sapientia Dei , à probo potius quam à improbo expectandum est consilium æquum* juxta illud Eccles. cap. 7. v. I. *Anima viri sancti enunciat aliquando vera potius quam sepiem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum.*

CONSECTARIUM VII. Qui consilium petit debet se bona fide gerere , & nihil ei quem consulit dissimulare ; primò enim sicuti Medicis & Jurisperitis omnia sincerè aperimus , si decipi nolumus , ita & in negotio salutis doctoribus , quos adimus , res sincerè est declaranda , si in errorem induci nolumus. Deinde periculum est ne in pœnam simulationis nostræ permittat Deus , ut Doctores falsa nobis respondeant , juxta illud Ezech. cap. 14 v. 4. *Qui posuerit immundicias in corde suo & scandalum iniquitatis sue statuerit contra faciem suam & venerit ad Prophetam interrogans me per eum : ego Dominus respondebo ei in multitudine immundiarum.*

CONSECTARIUM VIII. Peccant qui in dubio salutis varios Doctores adeunt , donec invenerint aliquem qui , cupiditati blanditur ,

datur. & sunt è numero eorum quos Isaías cap. 30. v. 10. sic loquentes inducit: *Loquitur nobis placentia, videte nobis errores*, & de quibus Paulus 1. ad Timot. cap. 4. v. 3. ait: *Coacervabunt: ubi magistros, pruriens auribus ērā veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Eos enim ex cupiditatis instinctu, non ex recta ratione, dubium deponere certum est.

ARTICULUS II.

Quid agendum sit in dubio salutis, dum urget agendi necessitas.

PROPOSITIO I. In dubio salutis, dum urget agendi necessitas, tutior pars est eligenda in foro conscientiæ, & extræ materiali justitiae commutativæ.

Probatur 1°. Ex Scripturâ Eccli. 21. v. 2. *Quisi à facie colubri fuge peccata: & si accesseris ad illa, suscipient te. Dent's leonis, dentes ejus, interficientes animas hominum, quasi Rhombæa bis acuta omnis iniquitas.* Ergo sicut dum occurrit coluber, vel leo, aut imminent gladius, tutius eligimus; ita & dum periculum est, nè incidamus in peccatum tutius debemus eligere, dicente præsertim Scripturâ: *Qui amat periculum, peribit in illo.*

2°. Ex innumeris canonibus ubi assertio nostra expressè traditur. cap. Ad audientiam extra de homicidio voluntario & casuali sic habetur: *Cum in dubiis semper debeamus eligere tutiorem, vos convenit, &c.* cap. Significavit.

XII MORALIS CHRISTIANA:
ficasti eodem titulo, & cap. illud extra de
Clerico excommunicato minist. sic habetur
in dubiis via est tutior eligenda, etsi delata, &c.
ergo.

3°. Ex Aug. qui lib. 2. de baptif. cont.
Donatist. cap. 3. de Donatistâ loquens, qui
dubitabat an licet apud Donatistas baptif-
mus susciperetur: *Si dubium, inquit, habe-
ret, non illic recte accipi, quod in Catholiciâ
recte accipi certum haberet, graviter peccaret
in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel
eo solo, quod certis incerta præponeret: Ergo
in dubiis tutior pars est eligenda, unde il-
lud juris axioma sumptum ex Aug. Tene cer-
tum & dimitte incertum.*

4°. Ex Clero Gallico an. 1700. in re-
gula de probabilium usu, ubi ante omnia
præcipiunt Gallicani Præfules: *Ut in dubio
de salutis negotio, ubi æqualia utrinque animo
se se offerunt rationum momenta, sequamur id
quod iutius, sive quod est eo in casu unicè tu-
tum, neque id consilii sed præcepti loco habe-
mus, dicente Scripturâ, qui amat periculum, in
illo peribit.*

5°. Ratione. Qui in dubio salutis tutio-
rem partem non eligit, non est moraliter
certus, actionem quam "elicit esse legi con-
formem; sed potius manifesto peccandi peri-
culo se exponit, cum incerta certis præpo-
nat; ergo in dubio salutis non licet in ac-
tum étrumpere, nisi partem eligamus tutio-
rem.

Deinde non minorem debemus adhibere
cautionem & prudentiam in negotio salutis
nostræ, quam in negotiis nostris temporali-

bus, & ad vitandam jacturam bonorum, aut infamiam, aut ægritudinem, vel mortem. At qui nemo est adeò imprudens, qui in dubiis dum versatur in aliqua ancipiti occasione, ubi periculum est perdendi vel fortunam, vel famam, vel vitam, non eligat partem tutiorem; quis enim mercator, v. g. his conditionibus societatem init, quas noxias magis quam utiles judicat, quis escam eligit, quam suspicatur veneno infectam, ubi integrâ & veneni experte vesci potest? quis viam ingreditur à prædonibus obsitam, aut præcipitiis periculosam, dum tutam ingredi potest? ergo à fortiori in dubio salutis, viam debeimus eligere tutiorem, cum ut ait Aug. *Nunquam satis magna est securitas, ubi pericitatur eternitas.*

Consectaria hujus Doctrinæ

C O N S E C T A R I U M I. Prædicta juris regula: *In dubiis tutior pars est eligenda, strictum est præceptum, non consilium.* Primiò enim verba quibus in jure canonico exprimitur non merum consilium, sed strictum præceptum important; sic enim loquntur canones: *Via tutior est eligenda, pars securior est tenenda, semitam debemus eligere tutiorem.* Secundò, sic docet Aug. qui ut modò dictum est, afferit cum, qui *Incerta certis præponit, peccare graviter... Certum admittere peccatum.* Tertiò, Sacri Canones pœnam his infligunt, qui hujusmodi regulæ non obtemperant, ut patet ex cap. *Illud de Clerico excommunicato ministrante, ubi jubetur deponi Episcopus,*

112 MORALIS CHRISTIANA.
qui in dubio ; an esset excommunicatus , à
sacris non abstinuerat. Denique verbis expre-
sis sic statuit Clerus Gallicanus an 1700. ut
patet ex loco in probationibus allegato.

CONSECTARIUM II. Prædicta juris
regula : *In dubiis tutior pars est eligenda*, lo-
cum habet non tantum in dubio facti, sed
etiam in dubio juris ; hoc est non tantum
cum quis dubitat, an actum fecerit, quem
constar esse illicitum ; sed etiam dum dubi-
tat, an actus eliciendus licitus sit nec ne : ge-
neraliter enim sanciunt Canones in dubiis tu-
tiorem partem esse eligendam ; immò spe-
ciatim in dubiis juris idem decernunt, ut pa-
ret ex cap. *Illud de Clerico excommunicato*
ministrante, ubi in dubio juris, an sententia
à delegato non præmissâ monitione & ante
intimationem liget, nec ne ; deciditur tutio-
rem partem esse eligendam, & Episcopus,
qui in tali dubio à sacris non abstinuerat,
jubetur deponi, ut modò diximus. Et clau-
sius etiam ex Clement. *Ex iiii, de verborum*
significatione : ubi nempe in quæstione meri
juris, an fratres minores teneantur sub præ-
cepto mortalis peccati ea observare, quæ bea-
tus Franciscus in suâ regulâ verbis imperati-
vis expressit Deciditur partem tutiorem esse
tenendam his verbis : *Ad vitandos graves re-
morsus conscientiæ pars sicurior est tenenda.*

CONSECTARIUM III. Peccat , qui
postquam duas opiniones oppositas pondera-
vit, dubius manet ultra verior sit, si non am-
pleteatur eam quæ tutior est , vel ut illam
doceat , si sit Professor ; vel ut secundum il-
lam penitentium conscientiam regat , si sit

confessarius; vel demum ut ad ejus normam propriam agendi rationem instituat.

C O N S E C T A R I U M IV. Peccat peccato sacrilegii, qui dubitans an confessus sit peccatum aliquod mortale, quod certè cognoscit se commisso, si illud peccatum non confiteatur: idemque esto judicium de eo, qui dubitans, an poenitentiam sibi à confessario injunctam impleverit, eam non exequitur. Uterque enim tutiorem partem in dubio non eligit.

C O N S E C T A R I U M V. Peccat ille, qui dubitans an inciderit in excommunicationem, aut irregularitatem, non se gerit ut excommunicatus, aut irregularis, adeòque non cessat à divinis, donec absolutionem dispensationemve impetraverit; quia in dubio tutiorem partem non eligit.

C O N S E C T A R I U M VI. Peccat Clericus Monachusve, qui tenetur recitare horas Canonicas, si dubitans an aliquam officii divini partem omiserit, eam non recitat; tunc enim tutiorem partem non eligit.

C O N S E C T A R I U M VII. Peccat qui dubitans, an aliquod sit impedimentum dirimens ad matrimonium, quod contrahere meditatur, si stante illo dubio, matrimonium illud ineat absque dispensatione obtenta, quia tutiorem partem non eligit.

C O N S E C T A R I U M VIII. Peccat ille, qui dubitans an votum validè emiserit, non exequitur votum, aut saltem dispensationem non postulat (quæ in tali casu, ab Episcopo concedi potest cum votum sit dubium) quia tutiorem partem non eligit.

CONSECTARIU M IX. Peccat ille , qm dubitans an revera peccatum aliquod mortale commiserit , v. g. pravae alicui cogitationi , aut libidinoso cuidam carnis motu consenserit , aut dubitans , an peccatum illud , quod certò scit se commisisse , sit mortale vel veniale , non declarat utrumque in confessione , non quidem tamquam certum , sed tamquam dubium , quia in neutro casu sequitur partem tutiorem.

MONITUM. Dixi in praecedenti propositione : In dubiis tutiorem partem esse eligendam , in foro interno & extra materiam justitiae commutativa ; quia , dum agitur de materia justitiae commutativa , immo & in foro externo secundum aliam juris regulam est iudicandum , uti duabus sequentibus propositionibus explicabimus .

PROPOSITIO II. Dum agitur de materia justitiae commutativa , seu de obligatione quâ quis tenet ut alteri quidpiam solvere , aut restituere : In dubiis melior est conditio possidentis , si post sufficientem diligenciam , ut detegatur veritas , res maneat dubia .

Probatur 1^a. Nemo à se ipso dejisci debet à possessione legitimâ ; tamdiu enim id quod possidemus censendum est nostrum , quamdiu non constat illud esse alienum. Ergo nemo tenetur ad aliquid alteri restituentem , vel solvendum , nisi constet hoc illi esse debitum , sed in dubiis illud non constat. Ergo in dubiis nemo tenetur id quod bona fide possidet alteri tradere .

2^a. Si in materia justitiae commutativa

tutior pars esset eligenda, dum res dubia est, sequeretur quod in tali hypothesi unus venetur solvere, quod alter non potest accipere, exempli causa supponamus dubium esse, an Petrus, Joannes aliquid restituere debat. in eo casu tenetur Petrus restituere; quia haec pars est illi tutior; Joannes vero teneretur non accipere; quia haec pars sibi tutior est; absurdum consequens; ergo & antecedens.

3º. Quando rationes æquales pugnant pro creditore simili ac debitore, tunc possessio questionem dirinuit, probabiliusque sit rem esse possessoris. Unde non peccat possessor si insui favorem judicet; possessio enim redditum moraliter certum, quod res, alioquin dicitur, sua sit.

Dixi, si post sufficientem diligentiam res maneat dubia; quia possessor, priusquam insui favorem judicet, sufficientem debet adhibere diligentiam, ut rei veritatem, quantum potest, detegat; alioquin enim peccandi periculo sponte se exponeret, retinendi nimis alienum, neque moraliter esset certus tem quam retinet esse suam.

C O N S E C T A R I U M Hinc intellige quod si dubites an prædium, quod possides tuum sit, an alienum; vel utrum damnum alteri creaveris, nec ne; teneris quidem, quantum potes, rei veritatem explorare; sed si, adhibitâ diligentia sufficienti, una pars generatim non appareat probabilius quam altera, tunc insui favorem Judicare licite potes, & nihil alteri restituere, aut solvere; quia scilicet possessio tibi sicut & dubium dirimit.

MONITUM. Verum adverte possessorem non semper eum esse dicendum, qui rem detinet; sed eum pro quo præsumptio stat. Præsumptio autem censetur stare pro illa parte, quæ in foro externo potest ad aliam onus probandi transferre.

Sic, v. g. si certus quidem sis, te damnum intulisse, aut mutuum accepisse; dubites autem, an damnum resarcieris, vel mutuum persolveris: teneris damnum resarcire & debitum solvere; possessio enim pro creditore stat, & præsumptio contrà te pugnat; ex quo enim constat te aliquid debere, tamdiu teneris solvere, quandiu non probas te solvisse.

POPOSITIO III. In foro externo judex tenetur ferre sententiam secundum hanc juris regulam: *In dubiis melior est conditio possidentis.*

Probatur 1º. Ex hac juris regula: *Cum sunt partium jura obscura reo, favendum est potius quam actori:* Ergo in dubiis judex sententiam ferre debet in favorem possessoris; reus enim censetur possessor illius rei, quam ab eo actor exigit.

2º. Ratione. Nemo à sua possessione dejicitur, quamdiu non constat illud quod possidet esse alienum; ergo judex in dubiis, tenetur ferre sententiam in favorem illius pro quo stat possessio; quamdiu enim dubia est res, non constat rem possessoris esse alienam.

Denique tutior & probabilius pars stat pro possesso in dubiis, cum pro eo sit præsumptio; ergo in dubiis sententiam ferre debet judex in favorem possessoris.

confessaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. In dubiis an homo sit excommunicatus , irregularis aut suspensus , in foro externo pro non excommunicato . irregulari aut suspenso , habendus est. Possessio enim & præsumptio stant pro immunitate à censurâ ; cum ille qui in judicium vocatur ut excommunicatus , possit ad actorem onus probandi transserre. Secùs verò judicandum est in foro interno & in tribunalí penitentiaz , ut supra explicuimus ; quia ut tutorem partem sequatur , qui dubitat an sit excommunicatus , debet se gerere ut excommunicatus.

C O N S E C T A R I U M II. Si constet aliquid suissè validè excommunicatum , dubium verò sit , an fuerit absolutus ; runc etiam in foro externo , ut non absolutus habendus est ; quia scilicet præsumptio illi adversatur , & possessio stat pro excommunicatione ; si enim constet de censura validè infictâ , illius munus est probare sublatam esse censuram ; alioquin semper præsumetur quod eadem censurâ irretitus permaneat , juxta hanc juris regulam : *Semel malus semper censetur malus , donec probetur esse non malus.*

Queres , cur istud axioma , melior est conditio possidentis , generaliter non admittatur , etiam in foro conscientiaz .

Respondeo prædictum axioma idè in foro conscientiaz ad materiam justitiaz commutativaz restringi ; quia in ea solum materiâ certitudinem moralem habere possumus . Id

118 MORALIS CHRISTIANA.

citam esse partem quam sequimur, et si ta-
tiorem non eligamus; quia scilicet, ut di-
ximus, possessio quæstionem dirimit & du-
biū tollit.

Deinde dici etiam potest illud esse discri-
men inter forum internum & externum, quod
externum intendat pœnam, internum vero
hominis nocentis emendationem & sanctifi-
cationem; quæ quidem res odiosa non est,
quæ restringi debeat, sed favorabilis, quæ,
quantum potest, debet aſſecurari; ac proinde
in foro interno tuiori parti est adhæren-
dum.

Denique præfatum axioma generaliter
etiam ad forum internum transferri poterit,
modò possessio ſupponatur stare ſemper pro
lege; adeò ut id ſequamur, quod legi favet,
non nostræ libertati; revera enim poſſeſſio
pro lege stare debet, cum lex utpote æter-
na vim habeat antequam homines libertatis
ſuæ poſſeſſione fruantur: in quam ſententiam
recte Vasquesius I. 2. disp. 65. 3. Nec potest
quis, inquit, contra Deum opponere, quod me-
lior sit conditio poſſidentis, & ſane quis ima-
ginari umquam poterit, Deum litigare & con-
tendere nobiscum de anterioritate, aut potiori-
tate poſſeſſionis: quin immò ſuccumbere in
cauſa, ſi noſtra poſſeſſio anterior fit.

PROPOSITION IV. In dubiis, ſi nulla
pars tuior videatur, ſed utraque periculosa
appareat, hoc eſt ſi conſcientia & quale per-
iculum infringendi Dei legem advertat, aut
in actu, aut in omissione actus; voluntas
in his angustiis conſtituta, ſi urgeat agen-
di neceſſitas præmissa divini luminis invoca-

rione, eligere debet actum, qui minus cupiditati favebit, aut juri proximi favorabilior erit.

Probatur. Voluntas in praedicto casu ad eam partem debet se determinare, quæ minus periculosa est, atqui voluntas id amplectetur, quod minus est periculosum, si partem sequatur, quæ suæ minus favet cupiditati, aut juri proximi favorabilior est; tunc enim, quantum in se est, peccandi periculum à se amovebit: ergo, &c.

consecaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Si dubiter mulier de matrimonii sui validitate, non potest quidem debitum petere, sed illud tenetur reddere viro, cui persuasum est valere hujusmodi matrimonium; alioquin in dubio, aut partem sequeretur, quæ cupiditati favet, si nimis debitum peteret; aut partem omitteret, quæ juri proximi favet, si negaret. Unde & Canones decernunt ut debitum reddat, minimè verò exigat. cap. Inquisitioni de Senten. excom. Cum conscientia p'sat animum, circa impedimentum aliquod matrimonii, ex credulitate probabili & discreta, quamvis non evidenti & manifesta: debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet: ne in alterutro, vel contra legem conjugii, vel contra judicium conscientiae committat offendam.

C O N S E C T A R I U M II. Si puëlla dubitet, an die Dominicâ templum adire debeat ad audiendam missam, an domi se contine-

te ad impediendum, ne adolescens ipsam videat, quem scit ita sui amore flagrare: ut quotiescumque ipsam videt, desideria impudica concipiatur, debet in eo casu omittere adire templum; sic enim partem sequetur quæ minus cupiditati favet, & proximo favorabilior est. Adde quod in concursu duorum præceptorum, quorum alterum divinum est, alterum humanum, si utrumque observari nequit, divino parendum sit potius quam humano, ut in sequenti tractatu explicabimus. Ac proinde cum lege divina nobis prohibitum sit, ne proximo simus occasio peccandi, missæ vero præceptum in die Dominica sit tantum Ecclesiasticum, in casu predicto puëlla debet omittere missam, ne præfato adolescenti sit offendiculo, præcipue si ipsa timeat ne adiens consensura sit peccato.

CAPUT IV.

De Conscientia probabili.

Nota 1^o. Conscientia probabilis est iudicium de bonitate, aut malitia operis hic & nunc agendi, sed infirmum & titubans, dubioque intermisum; hoc est conscientia probabilis judicium est, quo mens non evidenter quidem, sed tamen gravibus ducta rationibus, actum aliquem hic & nunc eliciendum licitum esse, vel illicitum pronuntiat; sed ita tamen, ut cum fundamento timeat, ne falsa sit conscientia quam sequitur. Sicut enim conscientia probabilis iu hoc à dubia distinguitur, quod probabilis assensum

assensum præbeat, & uni parti adhæreat : dubia vero assensum cohibeat, & inter utramque partem suspensa maneat, quod ut diximus vel nulla ratio menti occurrat, vel utrinque æquales rationes animo obversentur ; ita & à certa conscientia in eo secernitur, quod probabilis conscientia incertum tantum & infirmum assensum præbeat, & formidinem importet partis oppositæ ; certa vero firmiter assentiatur, & formidinem excludat partis oppositæ. Ex qua conscientiæ probabilis definitione intelligi potest, eum qui probabiliter tantum de bonitate, aut malitia operis alicujus judicat, ita se habere, ut licet uni parti adhæreat tamquam vero-simili ; absolutè tamen incertus sit, an licitum sit, vel illicitum opus quod hic & nunc agendum est, unde D. Bernard. lib. 5. de considera. cap. 3. *Opinio certi nihil habens, verum per verisimilia querit potiusquam apprehendit... Et hoc sciendum, quia opinio si habet assertiōnēm, temeraria est : fides si habet hæsitationem, infirma est.*

Nota 2°. Quod licet duæ sententiæ oppositæ non possint esse verae, quia si una sit conformis objecto, necesse est, ut contradictoria eidem non sit conformis, duæ tamen sententiæ contradictoriæ possunt si nullæ probabiles ; immò si una sit tantum probabilis, opposita necessario probabilis esse debet. Si enim una propositio non appareat nisi probabiliter vera, ejus contradictoria non potest apparere nisi probabiliter falsa. Sic si probabiliter tantum judicem licitum esse plures habere præbendas, necesse est ut

probabiliter quoque judicem illicitum esse plures habere præbendas; verum quod probabilius evadit una, tanto improbabilius evadit altera.

Ex quod intelligi potest, quod dum dicitur opinionem probabilem gravibus rationibus niti, eo nomine non intelligendæ sunt rationes, quæ absolutè & reipsâ veræ sint; sed quæ à viris maturi judicii censentur vere, quamvis falsæ esse possint; omnes enim fatentur opinionem probabilem posse esse falsam: immò è duabus propositionibus probabilibus contradictoriè oppositis, necesse est alterutram esse falsam.

Nota 3°. Conscientia probabilis, vel humanâ ratione, vel humanâ autoritate nititur; si ex ratione humanâ petatur, dicitur probabilis *intrinsecè*, & tanto major est probabilitas, quantò solidiores apparent rationes, quibus nititur. Si in nudâ Doctorum autoritate fundetur, vel unius, vel plurium, dicitur probabilis *extrinsecè*, eaque probabilitas eo est major, quod potior habetur illius, cui creditur, autoritas.

Nota 4°. Conscientia seu opinio probabilis aliquandò favet legi, aliquandò libertati. Legi, favet quandò assertit rem aliquam esse vetitam, quæ fortè lege non est vetita; libertati favet, quandò assertit actum esse licitum, qui fortè legi contrarius est. Sic opinio, quæ tutior est, favet legi; opinio vero, quæ minus tuta est, favet libertati, v. g. opinio hæc, licitum est habere plures præbendas, favet libertati; hæc verò, illicitum est habere plures præbendas, favet legi.

Nota 5°. Conscientia , seu sententia probabilius non est semper idem cum sententia tutiore , seu cum eā quæ nos magis à peccandi periculo removet ; multa enim tutiora sunt , quæ tamen minus probabilia videntur ; ut patet de opinione quæ docet hominem , qui mortaliter peccavit , teneri statim confiteri ; hæc enim opinio tutior est , & tamen à D. Thom. minus probabilis judicatur.

Nota 6°. Opinionem probabilem posse modo triplici comparari , ac 1°. Quidem cum oppositâ æqualiter probabili , sed non æqualiter tuta. 2°. Cum oppositâ minus probabili , & minus tutâ. 3°. Cum opposita magis probabili , sed minus tuta.

Nota. 7°. Certum esse , & indubitatum apud omnes , licitum esse sequi semper opinionem , seu conscientiam probabilem , quæ favet legi , quia scilicet , qui sequitur conscientiam probabilem , quæ legi favet , nulli peccandi periculo se exponit ; etsi forte falsa sit sua conscientia , seu etsi licitum sit , quod reputat illicitum , ut patet in homine qui abstinet à contractu , quem probabiliter quidem , sed falso , ut supponitur , judicat esse usurarium.

Nota 8°. Totam controversiam circà conscientiam probabilem in eo versari , an licitum sit sequi opinionem quamcumque probabilem , quæ libertati favet , contra præceptum. Qui probabilistæ dicuntur , seu probabilitatis fautores , contendunt , opinionem probabilem , eo ipso quod est probabilis , proponi , & assūmi posse tanquam tutam

morum regulam: immò etsi agenti improbabili intrinsecè videatur; modò graves autores, immò vel unus, ut aiunt, eam probabilem existimet: quia scilicet, ut inquiunt, supponere quisque debet, quod difficultates, quas enodare non potest, facile solveret doctor, qui sententiam hanc probabilem pronuntiavit, utpotè acutiori ingenio, præstantiorique doctrinâ pollens.

Ex quo principio inferunt è duabus opinionibus æqualiter probabilibus, licere sequi eam quæ libertati favet, & minus tutam est; immò & minus probabilem, minusque tutam in concursu probabilioris, simul & tutioris. Quid de hujusmodi probabilistarum placitis sentiendum sit, sequentibus articulis explicabimus, in quibus expendemus. 1°. An probabilitas, sit morum regula. 2°. Quid in prædicto triplici opinionum probabilitum concursu agere nos conveniat.

ARTICULUS I.

An probabilitas sit morum regula.

PR O P O S I T I O unica. Sola probabilitas, seu opinio, vel conscientia probabilis libertati favens contra præceptum, non est morum regula.

Probatur 1°. Ex Scripturâ, ex Apostolo i. ad Thessalon. cap. 5. v. 21. Jubemur ab omni specie mali nos abstinere: *Omnia, inquit, probate, quod bonum est tenete, ab omni specie mala abstinetе vos.* Atqui conscientia probabilis, quæ libertati favet contra præcep-

tum, prout merè probabilis est, speciem habet mali; cùm, ut patet ex prænotatis, ita nos ad assensum determinet, ut cum fundamento timeamus, ne falsa sit conscientia, quam sequimur, seu legi contraria; ergò sola probabilitas non est morum regula, seu non licet sequi conscientiam probabilem, quæ libertati favet contrà præceptum, prout merè probabilis est.

2º. Ex August. lib. 3. contra Academicos cap. 16. ubi hocce Philosophorum illorum axioma: *Cum agit quisque, quod ei probabile videtur, non peccat. Sic impugnat: Id igitur audiens adolescens insidiabitur pudicitiae uxoris alienæ... Quid aliud dicturus es quām non tibi esse probabile, ut id faciat adolescens! ac illi probabile est, nam si alieno probabili vivimus, nec tu (Tullium alloquitur) debuisti administrare rem publicam, quia Epicuro visum est non esse faciendum; sed vos (Academicis loquitur) me jocari arbitramini! libet dejerare per omne divinum, nescire me prorsus quomodo iste (adolescens adulter) peccaverit. Si quisquis id egerit, quod probabile videtur, non peccat, & deinde non solum adulterium, sed & omnia scelera licita fore ostendit, si semel probabilitatis dogma admittatur: Taceo, inquit, de homicidiis, parricidiis, sacrilegiis, omnibusque omnino quæ fieri, aut cogitari possunt flagitiis, & facinoribus, quæ paucis verbis, & quod est gravius apud sapientissimos judices defenduntur. Ergo si licitum sit, quod probabile videtur, nullum est crimen, quod excusari non possit.*

Ex Cajetano V. opinione; In operandis ^{ad}

se tutoirem partem eligendo, non licet opinio-
nem cuiuscumque assumere ut regulam operis:
quoniam eo ipso quod operatio regulandi com-
mittitur opinioni, committitur regulae ambi-
guæ, quia opinio omnis ambigua est, ut pote-
cum formidine partis oppositæ. & quia præsu-
ponitur quod non eligatur tuior pars, conse-
quens est ut operatio committatur regulæ ambi-
guæ ad casum peccati, ac per hoc exponatur pe-
nicuio peccandi, quod constat esse illicitum, & si
de mortali agitur, constat esse mortale.

Ratione: Quod est indifferens ad verita-
rem & falsitatem non est morum regula, si
quidem sola veritas per se est morum regu-
la, & per aecidens id quod inclitatè & fir-
miter, hoc est sine formidine partis opposi-
tæ existimatur veritas, ut patet ex ante dic-
tis: atqui conscientia probabilis libertati fa-
vens contrà præceptum, prout merè proba-
bilis est, indifferens est ad veritatem aut
falsitatem; cum patentibus omnibus opinio
probabilis falsa esse possit, immò è duabus
opinionibus probabilibus necesse sit, aliam
esse veram, aliam falsam; ergò conscientia
probabilis, que libertati favet contrà præ-
ceptum, prout merè probabilis est, non est
morum regula.

Deinde conscientia non est morum regu-
la, nisi sit certa saltem moraliter de boni-
tate actionis quam elicit, ut supra est de-
monstratum: atqui conscientia probabilis,
quæ libertati favet contra præceptum, non
est moraliter certa de bonitate actionis quam
elicit, siquidem ut patet ex observatis, con-
scientia probabilis importat formidinem paa

Nis oppositæ , seu qui probabilitè tantum assentitur , is cum fundamento timet , ne falsa sit conscientia , quam sequitur & absolute in certus est , licitus ne sit , an illicitus actus , quæcā elicit ; ergo , &c.

Denique si sola probabilitas sive intrinseca sive extrinseca sit morum regula , nullum erit scelus , quod tutâ conscientia patrati non possit . Quod enim est flagitium , cui ratio aliqua aut saltem doctoris alicujus suffragium non patrocinetur , ut satis patet ex tot propositionum censuris , quas Doctores alioquin Catholici in medium protulerant & atque ut probabiles tuiti erant .

Consecratio hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Hinc patet quārum vanum sit & à vera-morali pròcul amandan-dum principium illud ; quo statuitur licere tutò sequi opinionem quamcumque probabili-lem hoc ipsò quod est probabilis , sive intrinse- cè sive extrinsecè ; quāmque meritò hæc pro-positio : *Generatim dum probabilitate sive in- trinsecâ , sive extrinseca quantumvis tenui mo- do à probabilitatis finibus non exceatur confisi* aliquid agimus , semper prudentè agimus , hac speciali censurâ notata fuerit à Clero Galli- cano ann. 1700. art. 5. *Hæc propositio falsa* est , temeraria , scandalosa , perniciosa , novam morum regulam , novumque prudentiæ genus , nullo scripturarum , aut traditionis fundamento cum magno animarum periculo statuit .

Primo enim si probabilitas sola non est morum regula , ut modò demonstravimus ,

quomodo quæcumque probabilitas quantumvis minuta morum regula esse poterit.

Secundò omni probabilitati indiscriminatim adhærere, quid aliud est, quam contra præceptum Apostolicum: *Omnis spiritui credere; omnique doctrinæ vento circumferri,* & reclamante tota traditione salutis viam arbitriariam facere, atque celebre illud parvum effatum: *Quod ubique, quod semper, quod ab omnibus, irritum reddere.*

C O N S E C T A R I U M II. Hinc etiam patet non minus vanum esse alterum illud dogma, quo statuitur licere sequi opinionem, quæ vel uni Doctori, probabilis videtur, etsi nobis improbabilis videatur, quamque metito ab eodem Clero Gallicano ibidem hæc gravi censurâ notatae sint duæ sequentes propositiones.

Ex autoritate unius tantum potest quis opinionem in praxi amplecti, licet à principiis intrinsecis falsam & improbabilem existimet.

Hæc positio, sexdecim ad probabilitatem requiruntur non est probabilis. Si sufficiunt sexdecim sufficiunt quatuor; si sufficiunt quatuor, sufficit unus... Ad probabilitatem sufficiunt quatuor: sed quatuor immò viginti & supradicantur unum sufficere: ergo sufficit unus. Quibus propositionibus hæc censura infligitur: *Hæ propositiones false sunt, scandalosæ, perniciose: spretâ veritate questiones morum ad numerum autorum exigunt, & innumeris corruptelis viam aperiunt.*

Primò enim si-propria probabilitas per se non sit morum regula, quomodo alienum probabile, quod nobis improbabile videtur;

recta agendi norma esse poterit.

Secundò ad alienam probabilitatem contra propriam conscientiam mores exigere , quid est aliud quām illud Apostoli : *Quod non est ex fide , peccatum est , apertè violare , & contra ipsam rationem id sequi quod legi magis contrarium , quām conforme nobis videtur.*

Denique si semel admittatur illud principium , poterit quicumque rūtō amplecti innumerās illas morum corruptelas , quas Doctores varii ut probabiles tradiderunt licet sibi improbables inimicō & falsæ , ut reverā sunt , videantur.

C O N S E C T A R I U M III. Ubi occurrit sententia probabilis libertati favens contra præceptum , non licet secundūm eam operari ; nisi prius diligenter observatum fuerit , an opposita sententia sit æquè vel magis vel minus probabilis.

Primò enim cum probabilitas per se non fit morum regula , dum occurrit aliquid probabile tantūm , hoc est quod importet formidinem partis oppositæ ; necesse est ut oppositam sententiam examinemus , ut scilicet eam eligamus , quam veritati magis consenteam duxerimus , uti jubet Clerus Gallianus in regula de probabilium usu.

Secundò qui metrè probabilitati statim acquiescit , non examinando sententiam oppositam , exponit se peccandi periculo , & in negotio salutis eam admittit negligentiam & imprudentiam , quam nemo in negotiis temporalibus patiatur ; quis enim est qui dum agit de conservandis bonis , famā , vitā ,

130 MORALIS CHRISTIANA;
meræ probabilitati statim acquiescat, & non
priùs diligenter exploret, an pars opposita sit
convenientior.

Denique qui sine prævio examine meræ
probabilitate contentus in actum erumpit,
levitatis reus est, quam reprobat scriptura
his verbis : *Qui credit cito, levis corde est, &*
minorabitur. Ecclis. 19. v. 4.

Et spernit illud Aug. monitum lib. 22.
de civit. cap. 23. *Debemus esse continuis vi-*
giliis accubantes, ne opinio vero-similis fab-
lat, ne decipiatur sermo versutus, ne se tenebra
alicujus erroris offundant; ne quod bonum est,
aut quod malum est, bonum esse credatur.

Cum autem peracto illo examine neces-
sum sit, ut mens vel maneat suspensa æqua-
li probabilitate hinc indè affecta, vel majo-
rem probabilitatem simūl & securitatem in
alterutra ex oppositis opinionibus deprehen-
dat; vel majorem quidem probabilitatem
sed minorem securitatem in una parre per-
cipiat; ideo quid in hoc triplici opinionum
probabilium concursu agere nos conveniat,
tribus sequentibus articulis explicabimus.

ARTICULUS II.

Quid agendum sit in concursu duarum opinio-
num æqualiter probabilium, quarum una
favet legi, altera libertati.

PROPOSITIO unica. In concursu dua-
rum opinionum æqualiter probabilium,
quilibet tenetur eam sequi quæ pro lege stat,
nec potest sine peccato eam amplecti; quæ li-
bertati favet.

Probatur 1^o. Scripturā : *Qui amat periculum peribit in illo.* Ecclis. cap. 3. v. 27. Quem locum ita explicat Antoninus I.p.tit. cap. 10. §. 10. *Hinc est quod beatus Thomas & alii dicunt, quod ille qui agit id de quo est dubium utrum sit mortale, vel non, peccat mortaliter; quia periculo se exponit mortalis.* Cum ergo in aliqua materia morali, sunt variae & contrarie opiniones, ille qui adhæret opinioni latioris viae, videtur se exponere periculo mortalis, quia est in dubio, cum possit illa opinio esse falsa, & contraria vera. Ergo cum mens fluctuat inter duas opiniones contrarias æque probabiles, sequenda est opinio tutior.

2^o. Ex jure Canonico. In his quæ dubia sunt, quod, certius existimamus tenere debemus, ita Eugenius Papa. Innocentius verò III. sic decernit : *Nos, inquit, in hoc dubitabili casu quod tutius est sequentes, mandamus, &c.* Ergo cum occurruint duæ opiniones contrarieæ æque probabiles, insistendum est opinioni, quæ magis nos removet à peccato.

3^o. Ex D. Thom. quodlib. 8. a. 13. ubi sic habet : *Ille qui in quamdam dubitationem inducitur contrarietate opinionum, si manente dubitatione plures præbendas habet, periculo se committit & sic procul dubio peccat : utpote magis amans beneficium temporale, quam propriam salutem.*

Nec dici potest prædictas autoritates loqui de eo, qui est in dubio, quippe juxta D. Thom. Quoties movemur duabus opinionibus æque probabilibus, verè sumus in dubio ; quia mens in unam partem non inclinatur magis quam in aliam.

Ratione. Certum est ex dictis, in dubiis tertiorem partem esse eligendam: at qui in concursu duarum opinionum æqualiter probabilem mens dubia est; cum propter æquale pondus rationum neutri parti assentiatur, sed suspensa maneat; ergo in concursu duarum opinionum æqualiter probabilem tutior pars est eligenda: sed pars tutior ea est, quæ legi favet; ergo in concursu duarum opinionum æqualiter probabilem ea sequenda est, quæ legi favet.

Nec obstat quod aiunt illud esse discrimen inter intellectum dubium & opinantem; quod intellectui dubio nullæ ex utraque parte rationes occurrant; opinanti è contrâ plures obversentur; namque, ut supra dictum est, non minus intellectus est dubius, cum illi æquales occurrent utrinquæ rationes, quam dum ei nulla ratio pro unâ vel alterâ parte obversatur. Sicuti enim non minus in æquilibrio remanent lances dum nullum neutri, quam dum æquale utriquè pondus imponitur; ita & intellectus non minus est dubius, dum inter duas opiniones æquè probabiles constituitur, quam dum nulla ex his duabus opinionibus ei videtur probabilis.

Deinde non licet in actum erumpere, nisi simus moraliter certi de bonitate actus, quem elicimus, ut constat ex dictis: at qui ille qui in concursu duarum opinionum æqualiter probabilem eam deserit, quæ stat pro lege, ut eam sequatur, quæ libertati favet, non est moraliter certus de bonitate actionis, quam elicit; cum æquale rationum pondus necessariò dubium afferat, ut modo diximus;

sed

sed potius manifesto peccandi periculo se exponit, cum dubia conscientia in actum erumpat: ergo in concursu duarum opinionum æqualiter probabilium non licet eam deserere partem, quæ stat pro lege, ut eam sequamur, quæ libertati favet.

Consectaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Peccat, qui post examen sedulum pro sententiis oppositis rationes æqualiter validas utrinque adverrens, eam omittit sententiam, quæ pro lege stat, ut eam sequatur, quæ libertati favet; tunc enim cupiditati obsequitur, non rationi.

C O N S E C T A R I U M II. Peccant ob eamdem rationem illi omnes, qui dum in dubio salutis à duobus vel Doctoribus vel Confessariis, quos æqualiter piros & eruditos existimant, circa quemdam conscientie suæ casum oppositas sententias acceperunt; adeo ut unus licitum quid, aliis è contrà illicitum judicet; peccant, inquam, si nullâ propriâ adveniente novâ ratione pro ea parte non stent, quæ legi favet.

C O N S E C T A R I U M III. Peccant ipsi Doctores & Confessarii, qui, dum consuluntur, non suadent consultantibus, ut eam partem sequantur, quæ legi favet, ubi circa rem, quæ eis proponitur, æqualia utrinque occurrent rationum momenta,

ARTICULUS III.

Quid agendum sit in concursu duarum opinionum, quarum altera est minus probabilis & minus tuta.

PROPOSITIO unica. In concursu duarum opinionum, quarum una probabilitas est simul ac tutior, altera minus probabilis & minus tuta, quilibet sub pena peccati tenetur eligere probabiliorem, quae tutior est seu quae legi favet, nec potest sequi minus probabilem, quae minus est tuta, seu quae libertati favet.

Probatur 1^o. Ex Script. Eccles. 37.v.20. *An te omnia opera verbum VERA X praecedat te.* Atqui huic precepto, quo jubemur veritatem sectari, satisfieri non potest, nisi opinionem eligamus probabiliorem simul & tutiorem in concursu minus probabilis & minus tutarum; quo modo enim ille sectari veritatem dici potest, qui neglecta opinione probabiliore, hoc est, quae magis ad veritatem accedit, minus probabilem amplectitur, hoc est, eam quae magis à veritate recedit. Ergo, &c.

2^o. Ex Concil. Viennensi simul & Clero Gallicano ann. 1700. in regula de probabilium usu, ubi Gallicani praesules circum rectum usum probabilium opinionum hanc regulam statuunt. Ut circa probabiles de Christiana Doctrina sententias sequamur id, quod Viennense Oecumenicum Concilium circa infusam tam parentis quam adultis in baptismo virum

tes decrevit his verbis: nos hanc opinionem... Tamquam PROBABILIOREM, & dictis Sanctorum ac Doctorum modernarum Theologie magis consonam & concordem, duximus eligendam. Ergo ut ibidem concludunt Gallicani Patres, non licet in praxi eam sequi sententiam, quam nec ipsi, ut probabiliorem eligendam judicemus.

3^o. Ratione. Non licet sequi conscientiam quæ moraliter certa non sit de bonitate operis, quod elicit, ut sapientis dictum est. Atqui ille, qui opinionem sequitur minùs probabilem & minùs tutam in concursu probabilioris & tuncius . non est moraliter certus de bonitate actionis, quam elicit; si enim opinio probabilis in concursu alterius æquè probabilis dubia sit, ut propositione præcedenti declaravimus , à fortiori dubia est opinio probabilis in concursu probabiliors simul & tuncius. Ergo non licet sequi opinionem minùs probabilem & minus tutam in concursu opinionis probabiliors & tuncius.

Deinde qui minùs probabilia & minùs tuta sequitur ubi se offerunt probabiliora simul & tunciora, agit contra rectam rationem & prudentiam ; sicuti enim non imprudens modo sed & insanus haberetur, qui navem conscenderet vel ventis , aut vetustate penè disiectam , ubi tutam & securam potest descendere; vel pecunias ei committeret, quem non esse solvendo probabiliter prævideret , ubi sine ullo periculo alteri potest eas committere: ita & insanie & imprudentiae reus est, qui dum agitur de salute æternâ, minùs probabilia, minùsque tuta probabilioribus

simulque tuncius anteponit. Si enim, ut optimè Chrisostomus homil. 44 in Matth. vestimenta empturus, gyras unum negotia. oram & alterum, & ubi meliores veste inveneris, & prelio viliori, ab illo comparas: an non oportet populum circuire omnes Doctores, & inquirere, ubi sincera veritas Christi venum- decur, & ubi corrupta, & veriorem eligere plusquam vestimentum.

Denique, qui minus probabilia minusque rata probabiliibus simulque tuncius anteponit, manifesto peccandi periculo se expo- nit; cum eam partem eligat, quam esse le- gi contrariam probabilius judicat.

Si uti manifesto mortis periculo se com- mittit, qui cibis vescitur, quos probabilius judicat esse veneno infectos, ubi integri oc- currunt.

Consectaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Peccat qui in con- ferendis sacramentis sequitur opinionem mi- nus probabilem, relictâ probabiliori simul & tunciori. 1°. Quia generatim non licet sequi opinionem minus probabilem & minus tu- tam. 2°. Quia sequens hæc propositio dam- nata est. *Non est illicitum in sacramentis con- ferendis, sequi opinionem probabilem de valo- re sacramenti, relictâ tunciori, nisi id vere lex, con- ventio, aut periculum gravis danni iacur- rendi.* 3°. Quia qui sequitur opinionem mi- nus probabilem & minus tutam, relictâ pro- babiliori simul & tunciori, dum agitur de va- lone factamenti, peccat contrà Religionem.

debitam sacramento; addit enim periculum exponendi sacramentum nullitati. Peccat quoque contra charitatem debitam proximo; quippe cum proximus est in extremo salutis periculo, eique potest conferre subsidium certò profuturum, certum scilicet sacramentum, confert dubium. Peccat demùm contra justitiam; etenim dum exponit sacramentum nullitati, subtrahit fidelibus subsidium, ad quod fideles habent jus.

C O N S E C T A R I U M II. Non licet judicí sequi opinionem minus probabilem reliktà probabiliori. 1º. Quia generatim non licet sequi opinionem minus probabilem & minus tutam. 2º. Quia damnata est hæc propositio ab Alexandro VII. *Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferendâ sententiâ in favorem unius præ alio probabiliter existimo judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.* 3º. Judex est minister Dei in terris; unde necesse est, ut imitetur Deum, qui veritas est, & non probabilitas.

C O N S E C T A R I U M III. Non licet Medico in Medicinæ praxi minus probabilem opinionem sequi, præbendo medicamenta, quæ probabilius nocitura sunt agroto quam profutura. 1º. Quia generatim non licet sequi opinionem minus probabilem & minus tutam. 2º. Quia leges mulcent medicos, qui perpetranū usū fuerint medicamento.

C O N S E C T A R I U M IV. In administratio sacramento pœnitentiæ non licet Confessario sequi opinionem minus probabilem reliktà opinione probabiliori & tiori. 1º.

Quia generatim non licet sequi opinionem minus probabilem & minus tutam. 2°. Quia Confessarius est minister sacramentorum, & in sacramentis ministrandis non licet sequi opinionem minus probabilem & minus tutam. 3°. Quia Confessarius est Judex & Medicus, quibus non licet sequi opinionem minus probabilem & minus tutam.

CONSECTARIUM V. Non licet Theologo consilium dare secundum opinionem, quæ ipſi minus probabilis, minusque tuta videtur. 1°. Quia generatim non licet sequi opinionem minus probabilem & minus tutam pro ſeipſo: ergo neque pro aliis. 2°. Quia Theologus, qui dat consilium, vices gerit Christi, & proinde debet loqui sermones Dei, & non sermones hominum. 3°. Qui dat consilium, eſt Angelus à Deo missus in ministerium eorum, qui hereditatem capiunt ſalutis; & ille, qui petit consilium eſt fidelis, qui optat ſalutem conſequi: ergo ambo debent mutuo ſe adjuvare, iſte ſuadendo, alter obediendo, ut viam tutiorem inveniant. Totum illud Ambroſius conſirnat hiſ verbis, *Hoc eſt consilium Dei habere, explorare diligenter omnia, & quæ meliora ſunt ſuadere, quæ tutiora demonstrare.* Ideo dāniatæ ſunt ſequentes propositiones à Clero Gallico.

Licet conſulitori consilium dare secundum eam opinionem, quæ ipſi minus probabilis minusque tuta videatur.

Sed quis ſibi vult conſulti ſecundum eam opinionem, que ſit faveniffima, peccat, qui non ſecundum eam conſulit. Poteſt etiam ad libitum conſulere, modo ſecundum unam, modo ſecundum

dum aliam sententiam, dummodo caveat, ne incurrit levitatis notam,

CONSECTARIUM VI. Non licet variis adire Doctores eā intentione, ut ex eorum opinionibus ea eligatur, non quæ probabilior & tūcior, sed quæ comodior visa fuerit. 1°. Quia generatim non licet sequi opinionem minus probabilem & minus tutam. 2°. Quia qui ita se gerunt, imitantur Balac, qui sāpius Balaam interrogavit, ut ab eo responsum acciperet, juxta depravati cordis concupiscentiam; imitantur impios Judæos, de quibus ita Isaías cap. 30. v. 9. *Populus ad iracundiam provocatus est, & filii mendaces filii nolentes audire legem Dei. Qui dicunt videntibus: nolite videre, & aspicientibus: nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt: loquamini nobis p'acentia, videte nobis errores.*

ARTICULUS IV.

Quid liceat in concursu duarum opinionum, quærum altera est longè probabilior, sed minus tuta, altera verò longè minus probabilis, sed magis tuta.

Nota. Quod duplex potest esse *probabilitas*, ut dicunt, altera *Theologica*, altera non *Theologica*.

Probabilitas Theologica ea est, quæ fundatur in aliquo loco *Theologico* v. g. in *Scripturā, Traditione, Conciliis, Patribus, &c.*

Probabilitas non Theologica ea est, quæ metis ratiunculis nititur, quas humana *cupiditas* suggerit.

PROPOSITIO unica. Licet sequi opinionem probabiliorem, licet minus tutam, in concursu opinionis minus probabilis, licet magis tutæ, modò probabilioritas sit Theologica.

Probatur 1°. autoritate Cleri Gallicani de opinionum probabilium usu: *absit verò, inquit, ut probemus eorum errorem, qui negant licere sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* Ergo licet aliquando agere secundum opinionem, quæ nobis probabilior apparet.

2°. Ex Anton. I. p. tit. 3 de conscientia §. 10. ubi sic habet. *Cum bonâ conscientiâ potest quis tenere unam partem alicujus opinio- nis, & secundum eam operari, excluso saltem scandalo: quæ scilicet pars habeat pro se nota- biles Doctores, dummodo talis opinio non sit contra autoritatem expressam sacræ Scripturæ, nec contra determinationem Ecclesie Catholice, & quod etiam ex contrarietate talium opinio- num, non inducatur ad dubitandum: sed bonam sibi conscientiam & credulitatem formet de eo quod credit tamquam de probabiliori parte: & præcipue quando quis adhibet diligentiam in- quirendo, an liceat: nec invenit aliquid quod eum sufficienter moveat ad hoc, quod sit illici- tum.*

Nec obstat, inquit idem Antoninus ibi- dem, id quod dicit D. Thom. scilicet quod quando sunt duæ opiniones contrarie de eodem oportet alteram esse veram, alteram verò falsoam. Si ergo ille, qui facit contra opi- nionem Magistrorum: ut putat in habendo plu- res prebendas, faciat contra veram opinionem,

non excusatur à peccato ; cum faciat contrà legem Dei : quamvis non faciat contra conscientiam.

Sic enim respondet Antoninus. *Hæc enim, inquit, verba B. Thomæ non possunt intelligi nisi de his, ubi manifestè patet ex Scriptura, vel Ecclesiæ determinatione, quod si contrà legem Dei : & non de illis intelligit ubi non apparet : alius sibi contradiceret in eodem libro ; quod non est credendum.*

3º. Ratione. 1 Ratio. Licet sequi conscientiam quæ moraliter certa sit de bonitate suæ operationis, ut sæpius diximus : atqui ille qui sequitur opinionem probabiliorem probabilitate Theologica, licet mindis tuta sit, moraliter certus est de bonitate suæ operationis ; etenim post maturum examen amplectitur id quod scripturæ & traditioni, ac proinde legi conformius videtur ; ergo licet sequi opinionem probabiliorem licet minus tutam, modò probabilitas sit Theologica.

2. Ratio. Recta ratio permittit, ut sicut probabiliora amplectimur assensu ; ita & possumus amplecti affectu ; etenim sicuti intellectus potest sine culpâ probabilioribus adhærere ; ita & voluntas potest sine peccato probabiliora amplecti.

Et licet forte contingat tunc hominem agere contra legem, excusabitur ob bonam fidem & ignorantiam, ut dicit Antoninus loco supradicto. Item, inquit, *Utricus in summa dicit, quod si quis de aliquo agendu dubius, magis peritos consulat : de quo nullam habet expressam autoritatem, utrum ita sit, an non : dummodo formet sibi bonam conscientiam :*

etiam si res aliter se habeat, quam id quod sentit, & quod sibi consultum fuerit, excusatur: quia fecit quod potuit, & Deus plus non requirit.

3. Ratio. Si probabilioritas Theologica non esset tuta regula operandi, sequeretur.
 1. Quod non liceret uti juramento illius, qui verum per falsos Deos juratus est. 2. Quod non liceret injustum aggressorem, cum moderamine inculpatæ tutelæ se defendendo occidere. 3. Quod ubi in mortale peccatum lapsi sumus non liceret expectare tempus commodum confessionis, sed statim tenemur adire Sacerdotem; prædictæ enim opiniones, licet minus probabiles, sunt tamen magis tutæ; quia magis nos removent à peccato: atqui hujusmodi sequelas communiter rejiciunt Theologi, ut notat D. Antoninus, loco supra citato; ergo licet sequi opinionem probabiliorem in concursu minus probabilis, licet magis tutæ.

Monita circa usum prædictæ propositionis.

M O N I T U M I. Ut probabilioritas sit morum regula, debet esse Theologica; quia si probabilioritas fundetur solis ratiunculis, quas humana cupiditas suggerit, tunc non est regula operandi; moralis enim christiana non alias debet regulas agnoscere, quam eas, quæ ex revelatione vel mediata vel immediate emanant, ut docent sancti Patres. Sic enim habet Leo magnus Epist. 6. *Frequenter quidem, inquit, in diversarum questionum ambiguo fratribus corda titubantia*

spiritu Dei instruente solidabimus, responsionum formas, vel ex sanctorum scripturarum disciplina, vel ex Patrum regulis colligentes. Idem dicit Gregorius VII. lib. 3. Epist. 1. ad Henricum Regem. *Ad sanctorum Patrum decreta, inquit, doctrinamque recurrimus, nihil nobis, nihil ab inventione nostra statuentes.* Et idem Gregorius scribens euidam principi sic eum præmonet. *Nihil tibi præter quod sancta Scriptura, & sacri Canones præcipiunt, respondere possumus: nulli licentiam peccandi dare possumus, aut debemus, cum ipsi eam non habemus.*

Sic probabilioritas Academica, quæ vulgo oritur ex disputandi prurigine, non potest esse agendi regula: talis est ea probabilioritas, quæ vulgo reperitur in aliquibus autoribus qui res morales problematicè tractant, & ex arbitrio, quod magis placet, probabilius pronuntiant.

Sic probabilioritas carnalis, quæ ex pravis affectibus oritur, non potest esse agendi regula. Talis est ea probabilioritas, quam efformant sibi homines carnales; affectus enim efficit, ut id appareat probabilius, quod magis cupiditati favet.

MONITUM II. Ut probabilioritas etiam Theologica sit morum regula, non debet esse tenuis, sed longè excedens; adeo ut mentem moraliter certam efficiat de bonitate operationis, excludatque omne dubium, omnemque suspicionem proprii amoris subtiliter illudentis; fieri enim potest ut amor proprius repræsentet id, de quo agitur, probabilius quam re ipsa sit. Unde probabiliori-

tas non potest esse tuta morum regula, nisi sit maximè excedens, de quo ita loquitur P. Gisbertus Societatis Jesu in suo Antiprobatismo pag. 341. Quare, inquit, apud bonas & religiosas mentes principium esto libertatem non sequi postpositam lege, nisi probabilitas libertatis notabiliter excedat probabilitatem legis; nimirum ubi non apparet notabilis excessus unius supra alterum, censi debent in pari causa, in causa vero pari habet lex Divinam prælacionis supra libertatem humanam. Et ibidem inquirens, qualis excessus requiratur, respondet. Excessum illum apparentem ita deberre esse notabilem, ut aequivaleat testimonio duorum aut trium testium.

Sic quando duæ opiniones oppositæ conseruntur ad invicem, quarum altera est rigidior & favet legi, altera benignior & favet libertati v. g. Licitum est occidere injustum aggressorem, non licitum est occidere injustum aggressorem: Ut opinio favens libertati habeatur probabilior probabilitate, quæ sit morum regula illa probabilitas, quæ dicitur licitum esse occidere injustum aggressorem, tanta debet esse, ut oposita sententia vix videatur probabilis. Oportet enim ut non pronuntiemus minus tutum esse licitum; nisi prius viderimus minus tutum, & urgenteribus argumentis & autoritatibus gravioribus roborari.

M O N I T U M III. Ut probabilitas & Theologica & excedens sit morum regula, opinio proposita debet esse circa quæstiones, *an liceat*, & non circa quæstiones, *an valeat*; quia quando queritur, *an aliquid liceat*, ut homo

homo excusetur à peccato, sufficit quod ejus actio sit juxta regulas prudentiae; etenim quamvis post diligens examen, contingere possit, quod actio, quæ creditur licita, sit contra legem Dei: tamen non imputabitur ad peccatum, quia bona fides à peccato excusat: immò poterit imputari ad meritum, ut patet ex actione Jacob Liam suppositam pro Rachele carnaliter cognoscentis; ille enim concubitus erat contra legem Dei, & tamen ob bonam fidem, Jacob Patriarcha immunis fuit à peccato: immò actio ejus, si facta fuerit in gratia, & motivo reddendi debitum conjugale, potuit esse meritoria.

Sed quando queritur, an aliquod sacramentum valeat, non est eadem ratio; quia valor sacramenti defumitur, non ex bona fide operantis, sed ex determinatione Christi, qui instituit sacramenta: ideo quando agitur de valore sacramenti, sequendum semper id, quod est tutius.

CAPUT V.

De conscientia scrupulosa.

ARTICULUS UNICUS.

Quomodo deponenda sit conscientia scrupulosa.

Nota. Conscientia scrupulosa est ea, quæ licet certa, vel metaphysicè, vel moraliter, ut dicunt, aliquid esse licitum; levibus tamen conjecturis anxia, suspicatur illicitum esse, quod jam prudenter judicaverat licitum.

Tome I.

N

PROPOSITIO unica. Conscientia scrupulosa non est audienda, sed prudenter deponenda.

Probatur 1^o. Script. *Quod non est ex fide, peccatum est.* Ad Rom. 14 v. 23. atqui quod sit ex conscientia scrupulosa, non est ex fide; quia scrupuli impediunt, ne conscientia certa sit & firma: ergo quod sit ex conscientia scrupulosa, est peccatum; ergo conscientia scrupulosa est deponenda.

2^o Ex jure Canonico cap. *per tuas de Simonia.* Ubi decernitur eum, qui ordinem recepit ab Episcopo, quem simoniacum credebat, debere conscientiam scrupulosam deponere. *Nos,* inquit Innocent. III. *respondemus, ut idem in ordine sic suscepto securè ministret: sed contra conscientiam ad superiores ordines non ascendat, ne forte ædificet ad gehennam, licet ex eo quid conscientiam nimis habuerit scrupulosam, in difficultatem hujusmodi sit collapsus: quamvis que non evadet, nisi deponat errorem:* Ergo conscientia scrupulosa est prudenter depo- nenda.

3^o. Ratione. Ut conscientia sit morum regula, debet esse certa, saltem moraliter: atqui conscientia scrupulosa non est moraliter certa, ut patet: ergo non potest esse agendi regula: ergo est prudenter deponenda.

Quæ observanda in deponendo conscientiam scrupulosam.

1^o Considerandum unde scrupuli oriuntur. Si scrupuli veniant à Deo sic ordinante, vel ut puniat, vel ut probet: unicum reme-

dium est oratio : *Omni tempore bencdic Deum,*
& pete ab eo, ut dirigat vias tuas, & omnia
consilia tua in ipso permaneant. Tob. c. 4.
 v. 20.

Si scrupuli veniant à Diabolo suggestente,
 & tranquillitatem animæ interturbante, præ-
 sens remedium est fiducia in Deum, juxta
 illud Petri : *Diabolus circuit tamquam Leo*
rugiens, cui resistite fortes in fide.

Si scrupuli veniant ex defectu scientiæ, in-
 quirendum à sapientioribus, quid agendum
 sit, ut monet Tobias : *Consilium semper à sa-*
pienie perquire. Tob. c. 4. v. 19. Eique con-
 tra omnes inanes scrupulos fideliter obtem-
 perandum : *fili ne innitaris prudentiæ tuæ, ut*
 monet Sapiens Prov. 3. v. 5.

Si scrupuli veniant ex corporis constitu-
 tione, scilicet ex melancholia, quæ vulgo so-
 let ad vanos terrores incitare, remedia cor-
 poralia adhibenda sunt, quæ atrum illum hu-
 morem evacuent : etenim, ut monet Scrip-
 tura, *Altissimus de terra creavit medicamenta,*
& vir prudens non abhorrebit illa. Eccli. c.
 38. v. 4

2º. Considerandum est, an conscientiæ re-
 morsus fundamentum habeant, nec ne.

Si proprio vel alieno lumine videamus,
 non inanes esse, sed fundatas conscientiæ
 timor dentis monitiones, non spemendæ sunt,
 sed his salubriter utendum : *Beatus, inquit*
Scriptura, homo ille, qui semper est pavidus;
 & rursus initium sapientiæ timor Domini.

Si è contra proprio, vel alieno lumine
 constet, inanes esse, nulloque innixos fun-
 damento conscientiæ nostræ tumultus ; tunc

non audiendæ, sed spernendæ sunt conscientiæ agitatæ suspiciones, nec de illis, si fieri potest, cogitandum; quantò enim attentiùs consideras, tantò vehementius cruciaris: ubi enim semel imaginatio movetur, multi motus consequuntur, qui vix compesci possunt; sicut in lateribus ordine contextis uno carente cœteri cadunt. Inde est, quod conscientia scrupulosa cogitando potius inflammetur, quam quiescat.


3º. Considerandum circa quam materiam versentur scrupulosi illi timores? an circa præteritum? an circa præsens? an circa futurum: nam juxta Bonaven. *Conscientia accusat de præterito, obmurmurat de præsenz, præcavet de futuro.*

Si conscientia accuset de præterito, inaniter torquens nos, quod nec de peccatis præteritis doverimus, ut oportet, nec ea Sacerdoti declaraverimus, ut Deus exigit; Ideoque esse iterum examini, iterum confessioni subjicienda; non insumendum est tempus iterandis confessionibus; sed in Deo fidenter quiescendum, & dicendum cum Psalmista: *Si iniquitates observaberis Domine, Domine, quis sustinebit.*

Si conscientia obmurmuret de præsenti, inaniter inspirans opera omnia, quibus insistimus, quantumvis in se bona, mala esse: quia siue à nobis non movente charitate, sed occulta cupiditate allidente, & ideo ab his operibus etsi aliquè sanctis abstinentem; ridenda est stulta illa cogitatio, & interim instandum bonis operibus, juxta illud: *Quodcumque potest manus tua instan-*

ter operare , Eccli. 9. v. 10 Non tamen de illis operibus præsumendum , juxta illud Job c. 9. v. 28. *Verebar omnia opera mea.* Operare semper quasi certus tibi adeste gratiam ; time semper quasi ignarus , ne restiteris oblatæ gratiæ.

Si conscientia præcaveat de futuro , menteaque nostram sollicitet nos certò damnandos esse ; quia sumus de numero reproborum , remedium quæramus in Christo , ut docet Paulus ad Rom. c. 5. v. 1. *Justificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesus Christum . . . Si enim cum inimici essemus , reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus : multò magis reconciliati , salvi erimus in via ipsius.*



TRACTATUS QUARTUS.

De Lege.

Divisio Tractatus.

QUæ de Lege dicturi sumus , ad septem capita reducemos . In primo quæremus , quid & quotuplex sit Lex . In secundo , quæ sit Legum in homines autoritas ; seu an Leges ligent in conscientia . In tertio , quomodo Lex obliget . In quarto , quantum Lex quælibet pateat , qui sint actus , quæ objecta , quæve personæ , ad quas Lex extendatur . In quinto , quomodo sit observanda . In sexto , quomodo Lex sit interpretanda .

150 MORALIS CHRISTIANA
In Septimo denique, quæ excusent à trans-
gressione Legis.

CAPUT I.

Quid & quotuplex sit Lex.

§. I.

Definitur Lex.

LEx generatim sumpta potest definiri, re-
gula agendorum vel omittendorum. Si-
cuti enim artifex habet regulas, ad quas de-
bet opus suum exigere; ita creatura ratio-
nalis habet regulam aliquam, quâ debet ac-
tus suos morales dirigere, & hæc regula di-
citur Lex. Unde Lex à D. Thom. I. 2. q. 90.
a. 1. definitur, *Regula aut mensura actuum
humanorum, per quam ad agendum id, quod
est rectum, & ad omittendum id, quod est
pravum, dirigimus.*

§. II.

Quomodo Lex à Præcepto distinguitur.

Lex à præcepto distinguitur multis modis.
1^o. Lex semper datur alicui communitati per-
fæctæ, hoc est, alicui societati hominum, qui
certo federis alicujus vinculo connectun-
tur. Hujusmodi est regnum, Provincia,
Urbs, quæ communitates sœculares vocan-
tur: Hujusmodi quoque est Ecclesia, Diœ-
cesis, ordo Religiosus, quæ communitates

Ecclesiasticæ dicuntur. Præceptum verò simplex uni vel pluribus tantum datur, cuiusmodi fuit præceptum impositum Abraham de immolando filio.

2°. Lex non fertur nisi ab eo, qui jurisdictionem habet, vel politicam, ut Rex, vel Ecclesiasticam, ut Episcopus. Præceptum verò fertur etiam ab eo, qui talem jurisdictionem non habet; sic pater-familias potest domesticis suis præcepta imponere, minimè verò legem statuere.

3°. Lex perpetuitatem aliquam habet; unde & præsentes & posteros respicit: ideo post mortem Legislatoris vigorem habet. Præceptum vero non datur nisi præsentibus, nullumque vigorem habet post mortem præcipientis.

4°. Lex datur in utilitatem communitatis. Præceptum verò sæpius fertur in utilitatem præcipientis.

Si ergo quis legem per oppositionem ad præceptum definire voluerit, sic eam describere poterit.

Lex est quædam rationis ordinatio directa ad perfectam communitatem ab eo, qui jurisdictionem habet supra ipsam, debite promulgata, bonumque ipsius spectans, præcipiens quid sit agendum, vel omittendum.

§. III.

Dividitur Lex.

Lex generatim dividitur in naturalem & positivam.

152 MORALIS CHRISTIANA.

Lex naturalis generatim ea est, quæ non liberè sed necessariò imponitur, præcipiens quæ sunt ex se bona, vetans verò quæ sunt ex se mala. Talis est Lex contenta in Decalogo.

Lex naturalis duobus modis spectari potest, vel in Deo, vel in nobis.

Lex naturalis in Deo spectata est summa Dei ratio, exhibens primas & immutabiles morum regulas, dictans quid rectum sit, quid honestum, quid pravum, quid illicitum.

Lex naturalis in nobis spectata nihil aliud est, quam lumen naturale, seu inserta menti nostræ Legis æternæ notitia, quâ quid rectum, quid pravum sit, naturaliter intelligimus.

Vulgò dicitur cum D. Thom. 1. 2. q. 91. a. 2. *Participatio Legis æternæ in rationali creatura*, quæ quidem sic accipienda non sunt, quasi lumen naturale, seu recta nostra ratio, sit quædam quasi pars rationis æternæ à Deo decisa, quæ in hominem migraverit; sed recta hominis ratio, eo sensu legis se rationis æternæ participatio dicitur, quod si cuti lege æterna Deus primas & immutabiles morum regulas perfectissimè novit, & juxta eas homines regit: ita & menti nostræ naturalem earum notitiam impresserit, ut ad eas actiones nostras dirigeremus.

Lex positiva ea est, quæ imponitur liberè à legitimo superiore, præcipiens, vel vetans ea, quæ sunt ex se indifferentia. Talis est Lex, quam dedit Deus inveteri testamento per Moysen, in novo testamento per Christum.

tum. Talis est Lex Ecclesiastica statuta per Concilia, per Papam, per Episcopum. Talis est Lex civilis statuta per Imperatorem, per Rempublicam.

§. IV.

*Varia inter Legem naturalem & positivam
discrimina.*

Variæ sunt differentiæ inter Legem naturalem & positivam, hæ sunt præcipuæ. Lex naturalis necessariò imponitur, Lex positiva liberè. Lex naturalis vetat, quæ sunt ex se mala; jubet, quæ sunt ex se bona. Lex positiva jubet aut vetat, quæ sunt ex se indifferenteria. Lex naturalis est omnium temporum, omnium locorum, omnium nationum. Lex positiva est eorum tantum temporum, locorum & populorum, ad quæ Legislator vult eam extendi. Lex naturalis est immutabilis. Lex positiva est mutabilis. Lex naturalis ignorari nequit sine culpa, saltem quoad communia præcepta; quia scripta est in corde cuiuscumque hominis. Lex positiva ignorari potest sine culpa; quia non est scripta in cordibus nostris.

§. V.

*Quotuplicis generis sint præcepta Legis, tum
naturalis, tum positivæ.*

In Lege tum naturali tum positiva, alia sunt præcepta affirmativa, alia negativa.

Præcepta negativa sunt ea, quæ vetant actum vitiosum. Præcepta affirmativa sunt ea, quæ præcipiunt actum virtuosum, ut docet D. Thom his verbis: *Præcepta affirmativa inducent ad actus virtutis; præcepta negativa prohibent actus peccatorum.* 2. 2. q. 33. a. 2. in corp.

Præcepta affirmativa obligant ad semper & non pro semper; negativa vero obligant ad semper & pro semper; id est præcepta affirmativa obligant toto tempore, quo vigent, sed non pro omnibus temporum circumstantiis, v. g. toto tempore vitae teneor honorare parentes, sed in singulis instantibus non teneor exercere actus interiores vel exteiiores honoris erga parentes. Præcepta negativa obligant toto tempore, quo vigent, & in singulis temporum circumstantiis, v. g. toto tempore vitae debo abstinere à perjurio, immò nulla est temporis differentia, in qua possim perjurium committere.

§. VI.

Quæ sit Lex justa, quæ injusta.

Lex justa ea est, quæ est conformis Legi æternæ; injusta vero ea est, quæ est contra-ria Legi æternæ.

Sic Lex positiva Divina est semper justa; quia Deus agit semper conformiter ad suam legem æternam: & ita Lex Mosaïca justa fuit toto tempore, quo Deus voluit illam durare, scilicet usque ad illud tempus, quo Christus eam abrogatam voluit. Sic Lex

Evangelica est justa toto tempore , quo duratura est : habemus autem ex revelatione , quod semper duratura sit.

Sic Lex naturalis etiam spectata , prout est in nobis , est semper justa ; quia est participatio Legis æternæ

Sic Lex positiva humana , sive Ecclesiastica , sive civilis , eatenus est justa , quatenus conformis est Legi æternæ.

Ut Lex positiva humana , sive Ecclesiastica , sive civilis , sit justa , quatuor requiruntur , ut docet D. Thom. I. 2 q. 96. a. 4.

1°. Debet esse justa ex *autore* ; quia debet imponi à legitimo superiore , qualis est v. g. Deus , Christus , Respublica vel Ecclesiastica , vel civilis.

2°. Debet esse justa ex *fine* ; quia debet institui in bonum commune , qualis est vel salus hominum , quæ intenditur per legem positivam , Divinam & Ecclesiasticam ; vel quies Reipublicæ , quæ intendi semper debet per legem civilem.

3°. Debet esse justa ex *objeto* ; quia debet præcipere ea , quæ ad justitiam possunt deducere , vetare verò ea , quæ ad malitiam possunt inclinare , determinando in particuli ea , quæ per legem naturalem in communi vel præcipiuntur , vel vertantur.

4°. Debet esse justa ex *modo* ; quia debet ita se attemperare viribus , & facultatibus subditorum , ut singulis imponantur onera juxta statum & facultatem cuiuslibet.

Lex autem humana potest esse injusta , vel ex *autore* , scilicet quando fertur ab eo , qui non habet legitimam autoritatem ; vel ex

fine, scilicet quando non fertur propter bonum commune; vel ex *objeto*, scilicet quando præcipitur aliquid, quod est malum, vel vetatur aliquid, quod est bonum; vel ex *modo*, scilicet quando non attemperatur viribus & facultatibus subditorum.

CAPUT II.

*Quæ sit legum tam justarum, quam injustarum
in homines autoritas.*

ARTICULUS I.

Quid sit discriminis inter legem & consilium

PROPOSITIO unica. Ea est inter Legem justam & merum consilium differentia, ut lex justa obliget in conscientia ad sui observantiam, minimè verò consilium.

Probatur 1^o autoritate Scriptuæ. Christus. Matth. 19 v. 16. aperte tradidit Legem necessario observandam, consilia verò libertæ observationis esse constituit; ibi enim interrogatus ab adolescentे his verbis: *Magister bone, quid b*on*i faciam, ut habeam vitam æternam*, sic respondet: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Quæ quidem responsio pertinet ad necessariam mandatorum observantiam. Cum autem dicit illi adolescens v. 20: *Omnia hæc custodivi à juventute mea, quid adhuc mihi deest*, ait illi Jesus v. 21. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, que habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in caelo, & veni, & sequere me.* Ubi Christus

tus distinguens inter præceptum & consilium, declarat præceptorum observationem ad salutem consequendam esse necessariam, minimè verò consilio observantiam: ergo lex justa obligat, minimè consilium.

2º. Ex factis ex Scriptura desumptis. Quando Christus loquitur de statu virginitatis, non necessitatem imponit, sed libertatem relinquit: *Sunt, inquit, Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum;* quis potest capere, capiat Et Paulus de eodem statu loquens 1. ad Corint. 7.v.25. ait: *De Virginibus autem præceptum Domini non habeo: consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus à Domino.* Christus paupectatem Evangelicam liberam pariter voluit, non necessitatem: *Si vis perfectus esse.* inquit, *vende & vende omnia* & Petrus act. 5. v. 4 Sic compellat Ananiam: *Non ne manens tibi manebat, & venundatum erat in tua potestate:* Ergo lex ligat, minimè consilium

3º. Ex Greg. Nazianzeno orat. 3. Quæ est prima adversus Julianum Apostatam: *Quomodo, inquit, non animadverris, quod in legibus nostris aliae parendi necessitatem imponunt, nec sine periculo pretermitti possunt;* alie non necessitatem habent, ut qui ea custoderint, honore & premio afficiantur, qui autem minus ea expleuerint, nihil periculi pertinerescant.

4º. Ex Hieronimo lib. 1. adversus Jovianum, ita loquente: *Ubi consilium datur, efferentis arbitrium est, ubi præcepit, necessitas est servientis.*

5º. Ratione. Lex est mensura agendorum
Tom. I. O

& omittendorum: Ergo necessarium est, ut ad eam homo se componat. Et sicut artifex tenet sequi regulas artis, dum operatur, ut artifex: ita homo tenetur sequi suam regulam seu legem, dum operatur, ut homo liber & rationalis.

Consectaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Lex naturalis obligat omnes homines adultos, id est, usum rationis habentes. Primo, quia est vera Lex, cui adulti omnes subjiciuntur. Secundo, quia est justa ex omni parte. 1°. *Ex autore*, cum sit participatio legis æternæ in hominum mentibus impressa per inspirationem lucis & amoris 2°. *Ex objecto*, cum præcipiat id, quod est ex se bonum, & vetet id, quod est ex se malum 3°. *Ex modo*, quia nihil jubet nisi juxta vites cujuslibet hominis, cui manifestatur 4°. *Ex fine*, cum statuat modum vivendi juxta regulas honestatis. Demum lex naturalis est hujusmodi, ut infractores illius puniantur in hoc mundo conscientiæ stimulis interdum remordentibus, in altero vero verme, qui numquam moriturus est: Ergo lex naturalis obligat omnes adultos.

Ad eam legem mittit nos Isaïas 46. v. 8. *Redite, inquit, prævaricatores ad cor. Ad eam pariter nos advocat Christus, dicens: Quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis.* Eodem nos mittit pariter Paulus ad Rom. 2. ubi sic habet: *Gentes, quæ legem, scilicet scriptam, non habent, na-*

turaliter ea, quæ sunt legis, faciunt, hujusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientiam ipsorum & inter se invicem cogitationibus accusantibus, dum scilicet male operantur, aut etiam defendantibus, dum bene operantur. De hac lege ita Tullius lib. 3. de Repub. qui liber petuit sed fragmentum istud refertur à Lactantio lib. 6. Instit. cap. 8. *Est quidem vera lex, recta ratio naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quæ vocet ad officium jubendo, vetando à fraude deterreat; quæ tamen neque probos frustrâ jubet, aut vetat; neque improbos jubendo, aut vetando movet.* *Huic legi* nec propagari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest per Senatum, aut per populum solvi hæc lege possumus. Neque est quaerendus explanator, aut interpres ejus a ius. Nec erit alia lex Romæ, alia Athénis, alia nunc, alia post hæc: sed & omnes gentes, & omni tempore una lex, & sempiterna, & immutabilis continebit. De eadem lege ita Ambr. Epis. 41. ad Ireneum: *Ea igitur lex non scribitur, sed innascitur; nec aliquâ percipitur lectione, sed profuso quodam naturæ fonte in singulis exprimitur, & ingenii humanis hauritur. . . . Est enim sancta sine veritate, sine fraude consors est, expers iniquitatis.* Demum talis est lex naturalis, ut nec violari possit sine peccato, nec per peccatum penitus aboleri. *Numquam enim, inquit Aug. lib. 8. de Genesi ad litteram cap. 23. Ita punit Deus voluntatem malam, ut naturæ per-*

rimat dignitatem.

CONSECTARIUM II. Lex positiva di-
vina, sive data olim Judæis per Moysem,
sive data nunc Christianis per Christum, obli-
gat omnes homines, quibus imponitur. Pri-
mò, quia est vera lex. Secundò, quia est
justa ex omni parte. 1° *Ex autore*, cum se-
zatur à Deo, cui omnes homines tenentur
subesse. 2°. *Ex fine*, quia dirigit homines
ad finem supernaturalem. 3°. *Ex objetto*,
Deus etenim non jubet, nisi quod sanctum
est. 4° *Ex modo*, quia Deus est legislator
disponens omnia suaviter. Demum lex posi-
tiva divina talis est, ut infractores illius pu-
niantur in hoc mundo aliquando pœnis tem-
poralibus, semper verò in altero pœnis in
æternum duraturis: ergo obligat sub peccato.

De lege positiva à Deo statuta ita loqui-
tur Psalmista: *Lex Domini immaculata, con-*
vertens animas, testimonium fidele, sapientiam
præstans parvulis. Psal. 18. Quem locum sic
explicat D. Thom. 1. 2. q. 91. a. 4. in corp.
Lex Domini immaculata, id est, nullam pec-
cati turpitudinem permittens; convertens
animas, quia non solum exteriores actus,
sed etiam interiores dirigit; Testimonium
Domini fidele propter certitudinem veritatis
& rectitudinis; sapientiam præstans parvulis,
in quantum ordinat hominem ad supernatu-
ralem finem & divinum, mediis quidem sanc-
tis, sed non æquè perfectis, ut explicat Ambro-
sius lib. 1. de offic. cap. 18. ubi latè os-
tendit, quo pacto in lege Mosaica, Evan-
gelica & in cœlesti patria Deus homines ad
se attrahat: *Hic umbra, inquit, hic imago,*
illic veritas; umbra in lege, imago in Evan-

gelio, veritas in cœlestibus. Ante Agnus afferbatur, offerebatur vitulus; nunc Christus offertur, sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem, & offert se ipse quasi Sacerdos, ut peccata nostra dimittat. Hic in imagine, ibi in veritate, ubi apud patrem pro nobis quasi advocatus intervenit. Hic ergo in imagine ambulans, in imagine videmus, illic facie ad faciem, ubi plena perfectio, quia perfectio omnis in veritate est: & Hieron. lib. i. cont. Pelag cap. Christus in lege promittitur, in Evangelio impletur; ibi initia, hic perfectio est; in illâ operum fundamenta jaciuntur, hic fidei & gratiae culmen imponitur.

CONSECTARIUM III. Lex Ecclesiastica obligat omnes fideles baptisatos. Primo, quia est vera lex. Secundo, quia est lex justa ex omni parte. 1°. Ex autore, Superior enim Ecclesiasticus, qualis est Papa in tota Ecclesia, Episcopus in sua Dioecesi, Concilium generale in tota Ecclesia, Concilium nationale in tota sua natione, Dioecesanum in tota sua Dioecesi; Superior, inquam, Ecclesiasticus accepit potestatem à Deo condendi leges: nam Papæ dictum est in persona Petri: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis. Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Math 16. v. 19. De Episcopis vero dicitur: *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Act 20. v. 28. Patres vero in Concilio congregati confidenter pronuntiant: *Visum est Spiritui Sancto & nobis... ut abstineatis vos ab immolatis simula-*

chrorum, & sanguine, & suffocato. Act. 15.
v. 28. 2°. Est justa *ex fine*, cum Ecclesia,
utpote sancta, nihil aliud intendat per suas
leges, quam fideles ad sanctitatem adduce-
re. 3°. Est justa *ex objecto*, cum Ecclesia,
utpote infallibilis, nihil vetat, nisi quod
iniquum, nihil jubeat, nisi quod sanctum.
4°. Est justa *ex modo*, cum Ecclesia, utpote
pia mater, nihil præcipiat nisi juxta facul-
tatem fidelium. Demum lex Ecclesiastica
eiusmodi est, ut infractores illius puniantur
in hoc mundo per censuras, semper vero in
altero igne perpetuo; habendi enim sunt ut
Ethnici & Publicani.

De legibus ab Ecclesia statuendis sic lo-
quitur Christus contra eum, qui eis subesse
noluerit: *Si autem Ecclesiam non audierit,*
sit tibi sicuti Ethnicus & Publicanus. Math. 18.
v. 17 & rursus: *Qui vos audit, me audit;*
qui vos spernit, me spernit; *qui autem me*
spernit, spernit eum, qui me misit. Luc. 10:
v. 16. Et iterum: *Super Cathedram Moysis se-*
derunt Scribae & Pharisei; *quicumque dixe-*
rint vobis, servate & facite. Math. 23. v. 3.
Si ergo Sinagoga vim habuerit condendi le-
ges, uti fecit instituendo novos festivos dies,
nova jejunia, ut cernere est in libro Esther
cap. 9. in lib. Judith. cap. 16. in lib. 1. Ma-
chab. cap. 4. *Quid ni Ecclesia habebit po-*
testatem condendi legem, quam quilibet
baptizatus religiosè observare teneatur; non
enim habebit Deum Patrem qui Ecclesiam
noluerit habere Matrem. Ideò Tridentinum
ses. 6. can. 20. Anathema pronuntiat contra
eos, qui docuerint homines justificatos non

teneri ad observantiam mandatorum Dei & Ecclesiæ.

CONSECTARIUM IV. Lex civilis & politica justa obligat omnes sibi subditos. Primo, quia est vera lex. Secundo, quia, ut supponitur, est justa ex omni parte. 1°. Quidem *ex autore*, quia superior politicus, qualis est legitimus princeps, à Deo accepit vim condendi leges: *Per me Reges regnant, et legum conditores justi decernunt*, inquit Sap. Prov. 8. v. 15. ideo Paulus dicit Rom. 13. v. 5 *Subditi estote principibus, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* 2°. Est justa *ex fine*, quia, ut supponitur, princeps nihil aliud intendit per legem quam tranquillitatem publicam, & quietem temporalem civium simul vitam decentium, quod utique bonum est. 3°. Est justa *ex objecto*, quia, ut supponitur, nihil præcipit, nisi quod bonum Republicæ promovet. 4°. Est justa *ex modo*, quia, ut supponitur, æqualem servat onerum munierumque distributionem. Demum lex civilis ejusmodi est, ut infractores illius Deo volente in hoc sæculo penitus temporalibus puniantur, ut enim monet Paulus ad Rom. 13. v. 4. Princeps non sine causa gladium portat; in futuro vero sibi damnationem acquirunt juxta eundem Paulum: *qui autem resistunt potestati, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Ergo lex civilis ligat in conscientia.

Quam Religiose observanda sit lex civilis, modò nihil contra bonos mores præcipiat, ostendit Petrus his verbis Eph. cap. 2. *Subjecti igitur estote omni humano creantriæ*

propter Deum; sive Regi quasi præcellentis; sive
ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam ma-
lefactorum, laudem vero bonorum; quia sic est
voluntas Dei. . . . Deum timete, Regem ho-
norificatè. Illud idem ostendunt antiqui Chris-
tiani, qui nulla persecutionum acerbitate à
deserendo Principibus etiam Ethnicis obse-
quio potuerunt dimoverti, modò nihil in-
jungeretur, quod divinæ legi repugnaret.
Sic enim Polycarpus Herodem alloquitur,
teste Euseb. lib. 4 hist. cap. 15. *Tibi quidem
rationem reddere non me piget; præceptum enim
nobis est, ut Magistratibus & potestatibus à
Deo constitutis honorem debitum exhibeamus,
qui nobis ipsis nihil noceat, uti nocet, si
esset obedientia illa contra bonos mores.*
Sanctus Theophilus Episc. Antioch. lib. 1.
ad Autolicum hæc habet: *quæ cum ita sint,
magis honorabo Regem, sive Cæsarem; non ta-
men eum adorabo; verum pro eo orabo Deum,
qui verè verus Deus est, & quia verè verus est
Deus, adorabo, sciens Cæsarem ab ipso fuisse
ordinatum.*

ARTICULUS II.

Qualiter eoram Deo reus sit, qui legem jus-
tam infringit.

PROPOSITIO unica. Quicumque le-
gem justam infringit, peccat vel morta-
liter, vel venialiter.

Mortaliter quidem, si cum plena delibe-
ratione violetur lex in materia gravi, vel si
in materia levi interveniat contemptus, aut

scandalum: venialiter verò, si lex violetur in materia levi, vel si cum violatur in materia gravi, non adsit plena deliberatio.

1. Probatur prima pars. 1^o. Ex Script. Paulus scribens ad Rom. cap. 2. v. 13. Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legi, justi: abuntur. & cap 4 v. 15. ait: Lex enim iram operatur. Ubi enim non est Lex, nec prævaricatio. Ergo lex per gratiam Christi observata justos homines efficit; per malitiam verò nostram violata peccatores efficit & prævaricatores. Ergo piè agit, qui cumque per gratiam Christi observat legem; peccat verò quicumque legem malitiā suā infringit.

2^o. Ex Augus. lib. de Virginitate cap. 15. ubi ita scribit: Præceptum est enim hoc, cui non obediere peccatum est; non consilium, quo si nisi nolueris, minus boni adipisceris, non malum aliquid perpetrabis. Ergo peccat, quicumque legem infringit, minime verò, qui propositum consilium non amplectitur.

3^o. Ratione Omnis lex secum affect obedientiæ p̄ceptum: ergo obediens est, qui observat legem, inobediens verò & prævaricator, qui eam violat. Ergo peccat, qui infringit legem; quia non obediere est haud dubiè peccare.

Probatur secunda pars. Ex dictis, ubi differentia inter peccatum mortale & veniale. Ad peccatum mortale duo requiruntur, scilicet & plena deliberatio, & materiæ gravitas; ad peccatum veniale sufficit vel materiæ levitas, vel indeliberatio: Ergo violatio legis erit peccatum mortale, si cam

plena deliberatione lex in materia gravi infringatur; erit verò peccatum veniale, si lex vel in materia levi omittatur, vel sine p'ena deliberatione non observetur. Et quia scandalum & contemptus rem ex se levem gravem efficiunt, violatio legis semper erit mortalis, quoties interveniet scandalum aut contemptus.

Consectaria bujus Doctrinæ

C O N S E C T A R I U M I. Peccant omnes adulti, quoties non observant legem naturalem in Decalogo expresiam; quia præcepta Decalogi sunt naturalia, si determinationem sabbati excipias, ut dicetur suo loco; Nec enim homines adulti nihil de Deo audierint, nihil de Scripturis legerint, tamen, ut monet Paulus ad Rom. 2. *Eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex.* Teste enim Eusebio lib. 6. de præpar. Evang. cap. 6. *Divina Lex... lampadis instar facisque conjunctæ inclamat subinde, ac monit interius, uti regiā incedat viā, nec ad sinistram aut dexteram u'latus declinet... quippe naturalem hanc legem, quā suis in actionibus uteretur, animæ cuilibet tamquam auxiliatricem, universi monitor impressit:* Adeo ut sine Doctore exterius personante sciamus. quod in Decalogo scribitur, teste Chrysos. hom. 12. ad populum Antioch. *Non opus habemus, inquit, discere, quod malum est, fornicari, & bonum continentia, (idem dic de aliis præceptis Decalogi) sed ab initio hoc sciruſ.*

Non peccant tamen non adulti carentes

usu rationis, v.g. infantes, amentes, licet videantur exterius agere contra Decalogum; quia eis lex naturalis non innescit, cum per solum rationis exercitium nobis pateat, & ut dicunt, intimetur.

C O N S E C T A R I U M II. Peccant omnes, qui non observant legem positivam divinam sufficienter cognitam; quia lex divina ligat omnes homines, quibus innescit. Sic peccat homo quicumque, cui sufficienter prædicatum est Evangelium, si ejus non observet præcepta: lex enim Evangelica est à Deo, cui omnis homo subesse debet. Dicitur enim Apostolis: *Prædicate Evangelium omni creaturæ... & postea additur: qui non crediderit, condemnabitur.* Math. 15. v. 16.

Non tamen peccaret infidelis *negative*, qui nihil audivisset, vel audire potuisset de Evangelio, etiamsi non observaret præcepta per legem Evangelicam imposita; lex enim, ut infra dicitur, non obligat nisi promulgata. Ideo dicitur: *quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt; aut quomodo credent ei, quem non audierunt; quomodo autem audiunt sine prædicante.*

C O N S E C T A R I U M III. Peccat quicumque baptizatus, sive sit hæreticus; sive catholicus, si non observet leges universales Ecclesiæ; quia subditur Ecclesiæ. Sicut enim juxta Paulum Circumcisus tenebat ut olim observare legem omnem Moysis, ut monet Apostolus his verbis: *Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis servandæ.* Ita baptizatus tenetur observare legem Ecclesiæ.

Et ita peccant infantes, modo rationis usum assediti fuerint, si non audiant missam festis diebus, si non confiteantur peccata tempore ab Ecclesia designato, si non abstineant a carnibus statutis diebus; verè enim subjiciuntur Ecclesiæ, ut docet Trid. ses. 7. can. 14. his verbis. *Si quis dixerit hujusmodi parvulos, cum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt, & ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos, nec aliâ interim poena ad christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistia aliorumque sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant: anathema sit.*

Non peccat tamen, qui nondum baptizatus, non observat leges Ecclesiæ; quia non subditur legi Ecclesiasticæ, juxta illud Pauli: *Quid enim mihi de his, qui foris sunt, judicare: non ne de his, qui iudicatis sanctos judicatis.*

C O N S E C T A R I U M IV. Peccant personæ omnes sacerdotes, quæ non observant statuta Principum, quæ ad bonum reipublicæ regimen pertinent, quales sunt leges, quæ feruntur vel circa contractus ineundos, vel circa res forenses tractandas, vel circa merces aut vendendas aut emendas, vel circa disciplinam militarem, &c. Quia ista omnia pertinent ad bonum reipublicæ, & personas respiciunt, quæ Principibus sacerdotibus subesse debent, juxta illud Pauli: *ad nonne illos Principibus & Potestatibus subditos esse, & dicto obedire.*

Sic

Sic quando viger aliquia lex civilis, præcipiens aliquas formalitates in quibusdam contractibus observandas, peccat, qui eas formalitates non observat; quia tenetur legi subesse, immò si lex illa sit irritans, seu declareret contractus sine illis formalitatibus irritos, tunc contractus erit nullus, ut dicemus, ubi de contractibus.

Sic peccat iudex, si in ferenda sententia non servet normam regiis edictis præscriptam.

Sic peccat mercator, qui sine regis licentiā vendit merces, quas principis edictum vendi prohibet, v. g. atma tempore belli, libros sine Regis privilegio, tabacum, sal, &c. vel qui habens licentiam à Rege vendit merces altiori pretio, quam magistratum autoritate taxatae sint.

Sic peccant milites, duces, præfecti, &c. qui statuta Regia circa disciplinam militarem non observant.

CONSECTARIUM V. Peccant personæ sacre, quæ leges civiles non observant in his, in quibus non sunt exemptæ, vel ex dignitate status, vel ex concessione principum. Quia personæ sacre ex consecratione non desinunt esse membra reipublicæ, immò ex statu suo habent, quod exemplo Christi & Apostolorum potestatibus politicis fideliūs subsint, & ad eam obdientiam suo exemplo populos componant & obedientiam suā gratiam principum pro Ecclesiæ commōdis merentur, de quo ita Chrysost. hom. 23. in epist. ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus supereminētibus subdita sit, etiam si Aposto-*

lus sis, si Evangelista, si Prophetæ, sive quisquis tandem fueris; neque enim pietatem subvertit ista subjectio. Et Theodorus in cap. 3. ad Rom. ait: *Sacerdos, & antistes, & monasticam vitam professus, iis debent parere, quibus demandati sunt principatus.*

Non tamen peccant Clerici vel Monachi, quando non observant leges civiles, à quibus aut ex concessione principum, aut ex dignitate sui status eximuntur, in quo observandus est mos cujuscumque regni.

C O N S E C T A R I U M VI. Peccant quicumque subditi, qui *vectigalia & tributa à Regibus justè imposita non persolvunt;* docet enim Christus, Luc. 20. v. 25. censum Cæsari esse tribuendum: *Reddite ergo, inquit, quæ sunt Cæsarî, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Unde Justinus apolog. ad Antoninum Sic scribit: *Vectigalia sanè & collationes eis, qui à vobis sunt ordinati, exactoribus præ omnibus ubique inferre contendimus, quemadmodum ab illo, id est Christo, sumus instituti,* & Tatianus in Apolog. *Atqui Rex si jubeat tributum pendere, paratus sum inservire & ministrare.*

C O N S E C T A R I U M VII. Peccat quicumque membrum alicujus communitatis vel civilis, vel Ecclesiasticæ, vel Monasticæ non observat leges ejusdem communitatis, cuius est membrum; quia, ut optime ait Aug. lib. 3. Confess. cap. 8. *Turpis est omnis pars suo universo non congruens.*

Sic peccat Gallus leges Gallicæ non observans, Hispanus leges Hispanicæ, &c.

Sic peccat Clericus non observans statuta

sux Ecclesiae, & monachus statuta sui monasterii.

Non peccant tamen, qui transeuntes ad aliam communitatem, non servant leges prioris communitatis, quam deserunt, sed novae, quam ingrediuntur; quia non sunt membra prioris communitatis, sed posterioris.

C O N S E C T A R I U M VIII. Peccat qui cumque transiens ad aliquam communitatem: & in aliquo etiam obiter degens territorio, cum scandalo aliquo infringit leges illius, communitatis & territorii; quia toto tempore, quo degit in territorio, censetur subesse legibus illius loci: unde ait Aug. scribens ad Consul. *Ad quamcumque Ecclesiam veneritis & locum, ejus morem servate, si pati scandalum non vultis, aut facere.*

Sic qui veniunt ad aliquam urbem, vel ut ibi lites defendant suas, vel ut studeant, aut aliquid aliud operentur, licet domicilium ibi statuere non intendant, tamen teneantur festa & jejunia ejus loci observare.

Non peccant tamen, si non observent leges, quæ directè respiciunt personas illius loci, v. g. leges municipales, quæ pro solis scruntur civibus.

C O N S E C T A R I U M IX. Peccant viatores, qui eo tempore, quo manent in territorio, non servant leges hujus territorii, si manent per tempus sufficiens, ut censeantur obligari, v. g. si manent integrō die, tenentur missam audire, si ibi sit festum, tenentur & jejunare, si sit dies jejunii; quia ait Aug. lib. 3. conf. cap. 8. lex justa talis debet esse: *Ut nullus civis aut peregrini libidine violetur.*

Non tamen peccarent , si ita obiter manerent , ut non persisterent sufficienti tempore , quo lex censeatur obligare , v. g. licet viatores illic manerent per unicam horam , non tenerentur audiire missam , aut observare jejunium . Ita non siup ; zuruiborui mup

Per oppositam rationem manentes in aliquo loco sufficienti tempore , quo lex censeatur obligare , possunt uti privilegiis illius loci ; quia juxta regulam juris , qui sentit onus , debet sentire & cominodum

Sic manens Parisis , possum vesci carnis certis Sabbatis secundum usum Ecclesie Parisiensis manens in Hispania , possum vesci intestinis animalium die Sabbati secundum usum Ecclesie Hispanice

C O N S E C T A R I U M X. Peccat Legislator , sive civilis , sive Ecclesiasticus , qui non observat leges ditectivas ; quas ipse statuit ; quia Legislatori dicitur Patere legem , quam tuleris , & hi increpantur a Christo : Qui dicunt , & non faciunt Math 23.

Sed non peccat , si ipse non subeat penas , quas contra infractores legis decernit ; quia nullus propriè à se ipso penis subjicitur , v. g. Episcopus censuris à se inflictis non ligatur , nec princeps penis per ipsum destinatis contra infractores legis subesse non debet . Ita D. Thom 1. 2. q. 96. a 5. ad 3.

C O N S E C T A R I U M XI. Peccant , qui leges justas nolunt ex contumacia recipere ; quia haec contumacia est rebellio contra legem , ideo damnata est sequens propositio al. Alexandro VII.

Populus non peccat , etiam si absque ulla

causa non recipiat legem à principe promulgatam.

Sic peccant Laïci & Clerici, qui pertinaciter obstant, ne leges civiles justæ introducantur & recipientur.

Sic peccant monachi & moniales, qui resistunt superioribus legitimis volentibus justam regularium observantiam introducere; quia ex Trident. ses. 25 de reform. cap. 5 gravissimis censuris afficiuntur, quotquot tam salutari reformationi restiterint.

Non peccant tamen, qui secluso omnī scando & contumacia veras causas & certa privilegia proponunt, quibus possunt eximi à tali lege, quæ statuitur; quia tunc nulla est rebellio. Sic variū sunt Canones circa disciplinam, quæ in certis regionibus non vident, vide dominum de Marca lib. 2. de Concord. cap. 16. & 17.

ARTICULUS III.

An lex manifeste injusta sit observanda. Constat legem injustam non habere vim obligandi, sed quomodo id intelligendum sit, sequentes propositiones aperiunt.

PROPOSITIO I. Quoties lex est injusta, ex objecto, præcipiens aliquid, quod est ex se malum, vel vetans aliquid, quod est ex se bonum; quæquæ est aperte contraria legi, vel naturali, vel divinæ, vel Ecclesiasticæ, nullatenus est observanda.

Probatur 1º. Ex Scripturâ. Prædicta lex est injusta, ex objecto, de lege autem injusta, ex

objēcto, dictum est Act. 4. v. 29. Obedire oportet Deo, magis quam hominibus: Ergo predicta lex nullatenus est observanda.

2°. Ex Hyeroni. in cap. 6. epist. ad Ephes. Non audiat servus carnalem dominum, si contraria Dei praeceptis voluerit imperare.

3°. Ex. D. Thom. I. 2. q. 96. a. 3. in C. ubi sic habet: Leges passunt esse injustæ per contrarietatem ad bonum divinum, sicut leges tyrannorum inducentes ad idololatriam, & ad quodcumque aliad, quod sit contra legem divinam, & tales leges nullo modo licet observare.

4°. Ratione. Lex injusta, ex objēcto, non est recta rationis ordinatio; sed è contra est ratio his deordinatio: ergo non est observanda, sed spernenda.

consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Honorandus est Legislator, qui legem statuit, sed non est audiendus, quoties statuit aliquid contra legem naturalem. Honorandus; quia habet dignitatem; non audiendus in tali casu; quia non habet autoritatem. Quod uno verbo ita digerit Tertullianus in lib. ad scapulani cap. I. Colimus ergo & imperatorem sic, quomodo nobis licet, & ipsi expedit, ut hominem à Deo secundum, & quidquid est, à Deo consecutum, & solo Deo minorem.

Sic generatim spernenda est lex imperatoris contraria legi naturæ. ut docet Origenes lib. 5. contra Celsum: Cum, inquit, sint duas leges in genere, altera naturæ lex, cuius Deus laetus est, altera scripta valens in civitatibus;

ubicumque scripta lex , legi D̄i non adversatur , decent accommodare se civib⁹ , nec affectare leges exteris : ubi verò scripta contrarium naturæ . . . Imperat , vide , an non ratio dicitur ut... Legislatori Deo te committens , vivas juxta illius præscriptum , etiam si ist faciendum sit cum innumeris periculis , laboribus , morib⁹ , ignominiis .

Sic in particulari spernenda est lex , quæ idolatriam imperat ; qualis fuit Antiochi in veteri testamento , & lex Ethnicorum Imperatorum in novo Testamento , de quo ita Theophilus Episcop. Antioch. lib. I. ad Autolicum : *Dices ergo , inquit ; quare Regem sive Cæsarem adorare recusaſt̄ ? quia non ad id est institutus , ut adoretur ; sed ut legitimo , qui ipſi congruit , honoretur honore ; Rex enim sive Cæsar , Deus non est ; sed meminerit se esse hominem à Deo in hanc dignitatem promotum , non ut adoretur ; sed ut justè , quemadmodum iustitia exigit , judiceret.*

Sic pariter spernenda est lex , quâ præcipetur occidi innocentes ; qualis fuit lex Pharaonis jubentis occidi omnes infantes masculos Judæorum , ut habetur Exod. I. v. 16. Qualis fuit etiam lex Saülis jubentis occidi Sacerdotes Domini , ut habetur I. Reg. 22. v. 18. Qualis demum fuit lex tyrannorum jubantium occidi eos omnes , qui Christi religionem profiterentur , dicitur enim Exod. 23. *Insontem & justum non occides.*

CONSECTARIUM II. Non audiendus est Imperator , quando statuit legem , legi positivæ divinæ contrariam. Id disertis verbis explicat Aug. in expositione quarundam

propositionum epist. ad Rom. ubi sic habet:
Siquis ergo putat, quoniam Christianus est, non sibi esse vestigal reddendum, aut tributum, aut non esse exhibendum honorem debitum illis, qui haec curant, potestatibus, in magno errore versatur. Item si quis sic se putat esse subdendum, ut etiam in suā fide habere potestatem arbitretur eum, qui temporalibus administrandis aliquā sublimitate præcellit, in majorem errorem labitur; sed modus iste servandus est, quem Dominus ipse præscribit, ut reddamus Cœsari, quæ sunt Cœsarī, & Deo, quæ Dei sunt.

Sic generatim loquendo, non observanda est lex humana legi divinitus traditæ contraria; sed dicendum cum Apostolis. *Si justum est in conspectu Dei vos potius audire, quam Deum; judicate. Act. 4. v. 19.*

Sic in specie loquendo, spernenda esset lex, quā juberetur Scripturas Sacras non servari, uti jussit Julianus Apostata, teste Aug. lib. 18. de civ. cap. 52. Jussit enim Deus Sacros Codices fideliter servari.

Sic pariter spernenda esset lex, quā juberetur homines non instrui circa religionem, fidibus Sacraenta non conferri; &c. uti jubent multi Ethnici Imperatores; contrarium enim jussit Christus, dicens: *Doceite omnes gentes, baptisantes eos, &c.*

C O N S E C T A R I U M III. Non audiendus pariter Legillator politicus, quando statuens circa materiam sibi non subjectam, condit legem constitutionibus Ecclesiasticis contraria: ut habetur in Capitulo Hadriani num. 39. *Constitutiones contra Canones & decessa*

præsulum Romanorum, vel bonos mores, nullius sint momenti.

CONSECTARIUM IV. Quantacumque sit iniquitas humanarum legum, quibus aut res ex se mala præcipiatur, aut res ex se bona prohibeatur; abstinendum quidem à malo, & faciendum bonum, sed nulla unquam in iniquum Legislatorem molienda est rebellio, sed patienter sustinenda est persecutio: *In hoc enim vitæ genus, inquit Petrus 1. cap. 2.v.21: vocati estis, ut patiamini: Quia & Christus passus est pro nobis, abis relinquens exemplum; ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit, nec intentus est dolus in ore ejus. Qui cum malediceretur, non maledicebat: cum patereetur, non comminabatur: tradebat autem, vel Pilato, judicanti se injuste, vel patri judicanti se justè, ut explicat Menoch. Recogitate, inquit Paul ad Hæbr. 12. eum, qui tam sustinuit à peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes.* Et alibi exemplo suo Paulus compellans nos, ait: *Persecutionem patimur, & sustinemus, blasphemamur, & obsestramus.* Ideo numquam visum in Ecclesia Catholica à fidelibus motam esse vel minimam seditionem contra nequiores & severiores tyrannos.

PROPOSITIO II. Quando lex non est injusta ex objecto, seu cum lex nihil præcipit mali, sed injusta solum est, vel ex auctore, vel ex modo, vel ex fine. Ex auctore, cum Legislator fert legem ultra sibi commissam potestatem; ex modo, ut cum Legislator injustè distribuit onera aliundè justa; ex

fine, ut cum Legislator in ferenda lege non quærit utilitatem civium, sed propriam. Tunc ea lex observari quidem potest; sed citra peccatum licet ejus observantiam omittere, modò non timeatur, vel scandalum, vel perturbatio; quo in casu esset ex necessitate observanda.

Probatur 1º. Scriptura 1. Petr. cap. 2. v. 19. ubi sic habetur: *Hæc est enim gratia, id est, id gratum Deo est, si propter Dei conscientiam, id est fidem & religionem Dei; sustinet quis tristitia, patietur, injustè, ut explicat Menoch.* Ergo ut concludit D. Thom. ex isto textu, lex et si aliundè injusta, observari utiliter potest.

2º. Ex D. Thom. 1. 2. q. 96. a. 4. in corp. ubi sic habetur: *Hujusmodi leges, injuste, scilicet, vel ex autore, vel ex fine, vel ex modo, magis sunt violentiæ, quam leges: quia sicut Aug. dicit de lib. arbit. Lex esse non videtur, quæ justa non fuerit: Unde tales leges non obligant in foro conscientiæ, nisi forte propter vitandum scandalum, vel turbationem, propter quod etiam homo juri suo debet cedere, secundum illud. Math 5.* Qui angariaverit te mille passus, vade cum eo alia duo, & qui abstulerit tibi tunicam, da ei & pallium: Ergo lex injusta aliquo modo ex prædictis observari debet ex necessitate, ubi timetur scandalum & perturbatio; extra illum casum observari tantum debet ex confilio.

3º. Ratione. Lex in tantum ligat, in quantum Legislator accipit à Deo jurisdictionem, juxta illud Pauli: *Omnis ordinatio à Deo est;*

Atqui Deus non concessit jurisdictionem ad condendam legem injustam , vel ex autore , vel ex fine , vel ex modo ; quia quæ sunt , à Deo ordinatæ sunt : ergo hujusmodi lex non ligat in conscientia ; & ita potest citra peccatum omitti , modo non interveniat scandalum , vel perturbatio.

Quia tamen quisque potest juri suo cedere ; cum ea lex , ut supponitur , nihil præcipiat mali , poterit sine peccato ; immò cum laude observari: ideo Paulus ad hujusmodi observantiam hortatur his verbis : *Ut quid non magis injuriam patimini.*

Et quia rursus quisque debet juri suo cedere ad vitandum scandalum & perturbationem , hujusmodi lex etsi injusta , ex necessitate observanda est , quotiè timetur , vel scandalum , vel perturbatio.

Consecaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Quoties Legifla-
tor , vel non habet absolutè potestatem le-
gem statuendi , vel non habet potestatem su-
per illos , quibus imperat , vel non habet
potestatem super eam rem , quam imperat ;
tunc ea lex non ligat : quia non est justa ex
autore.

Sic lex lata à privato homine , nullatenus
ligat : quia privata persona nullam habet au-
toritatem condendi legem , de hoc ita D.
Thom. 1. 2. q. 90. att. 3. in corp. Lex , in-
quit , propriè , primò , & principaliter respicit
ordinem ad bonum commune ; ordinare autem
aliquid in bonum commune , est vel totius mul-

*titudinis , vel alicujus gerentis vicem totius
multitudinis ; & ideo condere legem pertinet ad
totam multitudinem , vel pertinet ad personam
publicam , quæ totius multitudinis curam ha-
bet.*

Sic lex lata à persona quidem publica , sed
circa sibi non subditos , non ligat , v. g. lex
Ecclesiastica non ligat non baptisatos. Lex
alicujus regni non ligat eos , qui ad regnum
nullatenus pertinent , de hoc ita D. Thom. 1;
2. q. 96. a. 5. *Illi , inquit , qui sunt de una ci-
vitate vel regno , non subduntur legibus princi-
pis alterius civitatis , vel regni , sicut nec ejus
Dominio.*

Sic lex lata à legitimo Legislatore , sed
circa materiam non sibi subditam , non ligat :
quia est injusta ex autore , v. g. lex lata ab
Episcopis circa res temporales , aut lex prin-
cipis lata circa res religionis , non ligat ; quia
est injusta ex autore , de quo Canon. nos si-
c. 2. q. 1. sicut Reges , inquit , præsunt in re-
bus sæculi , ita Sacerdotes in rebus Dei. Ad quæ
extendat se lex Ecclesiastica , & civilis , di-
cetur infra.

CONSECTARIUM II. Quoties Legisla-
tor in imponendis oneribus non servat jus-
tam æqualitatis proportionem , toties lex il-
la non ligat , quantum ad eam partem , in
qua exceditur : quia tunc lex est injusta ex
modo ; ligat vero quantum ad eam partem ,
in qua non exceditur ; quia circa id non est
injusta.

Sic tributa legitimè imposta solvenda
sunt à quolibet secundum eam quantitatem ,
quæ servat proportione ipsis competere debet.

Sic

Sic pariter , si lex vergat in gravamen in-
justum aliquorum tantum , & non omnium ;
obligat eos , quos non gravat , quamvis alios
non obliget.

C O N S E C T A R I U M III. Quoties Legis-
lator in ferenda lege non querit finem legis ,
nullumque commodum communè assignari
potest , tunc lex non ligat in conscientia :
quia lex non esset justa ex fine .

Sic , v. g. statuta est gabella ad struendos
muros civitatis , constructis muris , si cives
sine auctoritate idem tributum exigant ,
tunc injusta est , inquit Cajetanus , exactio :
quia cessavit finis , propter quem impositum
est tributum .

C O N S E C T A R I U M IV. Quando lex est
justa ex objecto , ex autore , ex fine genera-
li , ex modo , sed injusta solum ex motivo
particulari Legislatoris ; quia scilicet Legis-
lator tulit legem pravo motivo ; tunc lex il-
la justa ex objecto , ex autore , ex fine gene-
rali , ex modo est observanda ; quia est vera lex ,
& proinde ligans in conscientia . Et quamvis
Legislator peccet condendo tali motivo le-
gem aliunde justam ; tamen per peccatum
non amittit jurisdictionem ; & proinde vim
obligandi subditos .

Sic quamvis Episcopus ex odio , vel ma-
litia , quā flagraret erga sibi subditos , jeju-
num præciperet , aut diem festivum obser-
vandum mandaret ; hæc lex etsi injusta ex
motivo particulari , esset observanda .

C O N S E C T A R I U M V. Quando lex est
injusta ex autore tantum , semper est obser-
vanda , donec manifeste declaretur , autorem

legis nullam habere jurisdictionem ; quia alijs subditi infinitas causarentur excusationes , quibus se ab observantia legum liberarent.

Sic lex legitimi principis est observanda , quamvis dure , immò tyranice regat imperium ; quia veram habet jurisdictionem , & hoc est , quod jubet Petrus i. cap. ii. v. 18. *Subditi estote in omni timore Domini , non tantum bonis & modestis , sed etiam discolis.*

Sic lex etiam tyranni , qui injustè regnum invaserit , est observanda , quandiu est possessor pacificus ; quia respublica illum tolerando , censetur in illum jurisdictionem transferre.

CAPUT III.

De modo , secundum quem lex obligat.

VIdimus legem singulos sibi subditos obligare in conscientia ; jam , quo pacto eos liget , videamus .

ARTICULUS I.

Secundum quam intentionem , vel expressam , vel interpretativam , obliget lex ?

PROPOSITIO unica. Lex non ligat , nisi juxta intentionem rationalem Legislatoris.

Probatur 1^o. Scripturā. *Littera occidit , inquit Paulus , spiritus autem vivificat . Ergo lex est observanda , non secundum sensum*

externum verborum, sed juxta intentionem à Legislatore rationaliter intentam, & per sensum obvium verborum propositam.

2°. Ex Hilario relato à D. Thom. I. 2. q. 92. a. 1. *Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi*: Ergo lex debet sumi, non secundum externum verborum sonum, sed secundum mentem Legislatoris expressam, vel per se ipsum, vel per ejus verba in sensu obvio accepta.

3°. Ratione. Prima Ratio. Legislator præcipit obedientiam, obedientia autem exigit, ut obsequiamur juxta intentionem præcipientis: Ergo lex ligat juxta intentionem Legislatoris justa præcipientis.

2°. Ratio. Legislator nihil potest ultra exigere, quam ut ejus subditi ei planè subjiciantur; ei autem planè subjiciuntur, si legem observent juxta suam ipsius Legislatoris intentionem: ergo lex ligat juxta intentionem Legislatoris.

3°. Ratio. Legislator se habet in communitate, sicut Deus in mundo, anima in corpore, pater in domo, præfectus in exercitu: ergo sicuti perfecta est subordinatio, cum milites sequuntur nutum præfecti, filii nutum patris, corpus nutum animæ, & creaturæ nutum Dei; ita perfecta est obedientia, cum sequimur nutum Legislatoris: ergo lex ligare non potest, nisi juxta intentionem Legislatoris.

Consecratio hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Ille est prævacans
Qij

cator legis, qui verbis legis exterius adhærens, intentionem Legislatoris, non sequitur, quia ut dicitur lege Contra ff. de legibus: *In fraudem legis facit, qui salvis verbis legis sententiam ejus circumvenit.* Sic adulterer relinquens alicui hæreditatem cā lege, ut suo spurio reddatur, in legem peccat; quamvis verba legis videatur servare. Sic Sacerdos filio transmittens beneficium, non per se, sed per alium, verbis legis obsequitur, sed ipsam legem violat, dicitur enim de Reg. Juris in 6. Reg. ultima: *Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nimirum voluntatem: Quia, ut ait Juris-Consultus; Scire legis, non est verba eorum tenere, sed vim ac potestatem.*

CONSECTARIUM II. Toties observantia legis omitti potest, quoties occurruunt casus particulares, in quibus, si prudens Legislator interrogaretur, responderet se non habuisse intentionem obligandi in tali casu; quia lex non ligat, nisi juxta intentionem Legislatoris.

Sic contra verba legis agendum, quoties in rigore accepta, noceret hono communī, v. g. contra verba legis aperiendae sunt fores urbis obsecræ, si egressi cives ab hostibus lacerfici, velint in eam recipi; non est redditum depositum, cum depositor vult euti, vel ad sui, vel ad alterius perniciem.

CONSECTARIUM III. Icx non ligat sub peccato, nisi post legitimam & sufficientem promulgationem; quia talis debet esse intentio rationalis Legislatoris; ini-

quam enim esset ad legem in incognitam obligare, & ita.

Lex naturalis non ligat ante usum rationis, per quam lex naturalis nobis manifestatur.

Lex Mosaïca non ligabat Gentiles, quibus erat incognita, sed solos Judæos, quibus in monte Sinaï fuerat promulgata.

Lex Evangelica non ligabat infideles, apud quos non erat prædicata; immo juxta Bernardum Epist. 77. licet Hierosolimis promulgata, non obligabat, nisi postquam fuit toto orbe annuntiata.

Lex Ecclesiastica non ligat, nisi ubi cum debitis solemnitatibus promulgata est, v. g. lex de continentia Diaconorum non ligabat, nisi post promulgationem: *His ignorationis venia remittitur*, inquit Innoc. I. *Ita ut de cetero penitus incipient abstinere* Epis. 3. Lex de suppressis matrimonii clandestinis non ligabat, nisi post tringinta dies à prima die promulgationis, ut docet expressè Triden. ses. 24. cap. 1.

Sic juxta Dominum de Marta lib. 2. de Concord. cap. 15. Qui in confirmationem suæ sententiae citat Panormitanum Sylvestrum, Cajetanum, Soto, Asorium Seratium, &c. Lex Romani Pontificis non ligat, nisi fuerit solemniter promulgata apud eos populos qui ei subesse debent.

Sed qualis debeat esse in Gallia solemnis illa promulgatio, non apud omnes convenit: alii censemur requiri ut constitutiones Papales à Parlamentis acceptentur: alii vero censemur sufficere quod ab Episcopis acceptentur.

& ab eisdem populo proponantur ; sed quidquid sit de illa controversia , istud est omnino certum . Constitutiones Papales editas contra Jansenistas , contra Quietistas , contra laxiores aut rigidores Casuistas plenum & integrum legis robur habere , & eos graviter peccare , qui dictis constitutionibus religiose non obtemperant ; quia & à Parlamentis acceptatæ sunt , & in solemnioribus Cleri Gallicani comitiis nedum humiliter & religiose exceptæ fuerant ; sed etiam jussum est ut eis fideles omnes acquiescerent .

Sic lex civilis non ligat , nisi promulgata : Tunc , inquit Justinian . *leges valere jubentur , cum in communi factæ sunt manifestæ* Novel . 66. Inde est , quod apud Gallos edicta Regum mittuntur ad Parlamenta , à Parlamentis ad Curias inferiores .

Sic lex derogatoria , tum consuetudinis habentis vim legis , tum privilegii eximentis à lege , non habet robur nisi promulgata ; quia est instar legis : ideo qui habet facultatem absolvendi à reservatis , hæc uti potest , donec revocatio illius illi fuerit cognita .

CONSECTARIUM IV. Lex positiva , sive Ecclesiastica , sive civilis , si sit privati juris & aliunde non sit bonis moribus necessaria , non ligat , cum seclusa omni pertinaciâ & scandalo , moribus utentium non est recepta ; quia talis est intentio Legislatoris : qui enim taceat , consentire videtur , si lubens & sponte taceat , de quo ita Gratianus Can *In illis Leges Ecclesiasticæ inserviuntur , cum promulgantur ; firmantur , cum moribus utentium recipiuntur . Et Julianus L.*

er quibus s^{f.} de legibus : *Leges ipsæ nullâ aliâ ex causâ civiles nos tenent, quam cum iudicio populi receptæ sunt.*

Sic leges Ecclesiasticae aliae valent in occidente, aliae in oriente, olim Romæ jejunabatur Sabbato, minimè vero alibi. Lex erat de ordinandis cantoribus in oriente, de non ordinandis in occidente.

Si autem leges sint non privati juris, quo privatum bonum singulorum queri debet; sed sint juris publici, quo bonum universale queritur, tunc nullatenus necessarius est populi consensus ut leges illæ obligent; quia esto lex privati juris nihil aliud sit, ut dicit Papinianus : *Quam communis reipublicæ sponsio.* Lex vero publici juris nihil est aliud, ut dicit Plato; quam salus totius etiam cum periculo partis.

Sic leges istæ publici juris, v. g. de bello, de pace, de fœderibus, de vectigalibus, de regum eminenti dominio, &c. ad solum principum arbitrium pertinent, sola populis obsequii, gloriâ relictâ & obligare censentur etiamsi si injustè obmurmurent populi; quia intentio rationalis Legislatoris est ut bonum universale totius reipublicæ procuretur, etiam cum dispendio boni privati & particularis.

C O N S E C T A R I U M V. Lex positiva, sive Ecclesiastica, sive civilis, non rescindit, ut plurimum antiquas locorum consuetudines, si aliunde nihil mali contineant; quia talis est intentio Legislatoris: *Ipsa quippe mutatio consuetudinis; etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat,* inquit Aug. Epist. ad Januar. Ita sine schismate particulares

Ecclesiæ servant suos ritus , & sine rebellio-
nis crimine particulares provinciæ suis mori-
ribus adhærent ; alii sunt ritus in Ecclesia
Græca , alii in Ecclesia Latina .

C O N S E C T A R I U M VI . Lex fundata in
falsa præsumptione non ligat , quando confe-
stat Legislatorem non habiturum fuisse in-
tentionem obligandi , si falsitatem præsum-
ptionis cognovisset ; quia tunc Legislator non
habet intentionem obligandi .

Sic sententia lata ex falso allegatis , &
probatis , non ligat in foro conscientiæ ,
nisi ut scandalum vitetur , si sit illius pericu-
lum ; proinde secluso scando possum non
solvere , quod judex jubet , si verè non de-
beam : sic sententia jubens aliquid secun-
dum se bonum , sed in talibus circumstantiis
illicitum v. g. jubens matrimonium Mona-
cho incognito ut tali , non ligat ; quia niti-
tur falsâ præsumptione .

Sic sententia jubens reddi debitum con-
jugale , non ligat eos , qui non verè con-
traxerunt ; quia inter eos non est verum ma-
trimonium .

C O N S E C T A R I U M VII . Nulla præcep-
ta affirmativa legis naturalis obligant ad
sui observantiam cum aperto vitæ discrimi-
ne in his circumstantiis , in quibus eorum
omissio nec honori Dei , nec utilitati proxi-
mi contrariatur ; quia talis est intentio Le-
gislatoris : Præcepta affirmativa obligant ad
semper , sed non pro semper ; Id est , urgent in
aliquibus instantibus , & non in omnibus :
ergo intentio Legislatoris talis est , ut ces-
set obligatio tunc exercendi actus per legem

imperatos, quando tale exercitium citta necessitatem periculum vitæ induceret.

Sic præceptum confitendi fidem, celebrandi nomen divinum, honorandi parentes, reddendi depositum, restituendi ablatum, cum periculo vitæ non ligat semper & in omni instanti, sed tunc solum urget, cum honor Dei & utilitas proximi contrariè substraherentur, ut loquitur D. Thom. agens de professione fidei 2. 2. quæst. 3. a. 2.

C O N S E C T A R I U M VIII. Nulla præcepta affirmativa legis positivæ, vel Ecclesiasticæ, vel civilis ligant ad sui observantiam cum evidenti vitæ discrimine, nisi in his circumstantiis, in quibus eorum omissio vel honori Dei, vel utilitati proximi, vel bono publico insigniter contrariatur: quia talis est, aut esse debet rationalis intentio Legislatoris; minus enim ligat lex positiva, quam naturalis.

Sic præceptum Ecclesiasticum celebrandi exterius festa, audiendi missam, confitendi peccata, communicandi, recitandi horas Canonicas, recedendi ab excommunicatis &c. non ligat imminente periculo vitæ, modò nihil fiat his præceptis contrarium.

Sic præceptum civile, quod statuuntur servitutes, tum urbanæ, tum agrestes, cessat hoc ipso, quod ad ejus observantiam intervenit præsens vitæ periculum.

C O N S E C T A R I U M IX. Præcepta negativa juris naturalis obligant ad sui observantiam, etiam in ipso vitæ discrimine; quia cum: *Præcepta negativa obligent ad semper, & pro semper, & yetent;* quod est ex se ma-

lum, talis est intentio legis, ut obligent etiam cum vita dispendio.

Sic debemus potius mortem obire, quam haec præcepta naturalia negativa infringere: non habebis Deos alienos coram me; non perjurabis; non inhonorabis parentes: non fornicaberis; non mentieris; non concupisces, &c.

C O N S E C T A R I U M X. Præcepta negative juris positivi tunc solum obligant ad sui observantiam, etiam instantे periculo vitae, cum ex eorum omissione secutura est; vel contumelia contra Deum; vel jactura salutis æternæ proximi, vel periculum boni universalis; quia talis est intentio Legislatoris: honor enim Dei, salus æterna proximi, & bonum universale Republicæ, debent conservari illæsa, etiam dispendio vitæ nostræ.

Sic fidelis baptisatus debet potius mortem subire, quam non abstinere à carnibus diebus ab Ecclesia vctitis; quam non abstinere à servilibus diebus festis; quam non abstinere ab idolathritis; si ad hæc cogatur, non ut satisficiat necessitati naturali, sed solum in derisum religionis Catholicæ. Ita se gesit Eleasar, abstinentis à carnibus porcinis.

Sic debemus potius mori, quam non abstinere ab aliquo indifferenti, quod scandalum est fratribus, ita docet Paulus: Ergo peribit, inquit, infimus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est. Ad Corint. 8. v. 12. & rursus: Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est, ad Rom. 14. v. 16.

Sic miles in statione difficiili & periculosa constitutus, debet potius mortem oppetere, quam eam deserere, si ex ejus fugâ securta sit deletio exercitus, aut periculum Reipublicæ. Ita præstítit Judas - Machabæus: Quoniam, inquit, melius est nos mori in bello, quam videre mala gentis nostræ & sanctorum. i. Mach. cap. 3. v. 59.

Sic tempore pestis, Medicus debet potius vitam suam periculo mortis exponere, quam cives sine remedio deserere: debet, inquam, hoc ex justitiâ, si sit pretio conductus; ex charitate vero, si non sit pretio conductus.

Sic simplex Sacerdos ex charitate, Parochus vero ex justitia debet potius vitam suam periculo mortis exponere, quam fideles sine Sacramentis deserere: *Nisi forte*, inquit Aug. Epist. 228. ad Honoratum; *Quisquam contenterit non esse ministrum impium*, qui tunc substrahat ministerium pietati necessarium, quando est magis necessarium: Debemus enim Christum imitari, qui vitam suam pro nobis posuit.

ARTICULUS II.

De modo, secundum quem lex pœnalis obliget.

Quomodo & quando pœnae per legem infictæ sint subeundæ.

Nota. Lex pœnalis ea est, quæ præcipit aut vetat aliquid, infligendo infraactoribus pœnam aliquam, quæ habeat vindictæ, v. g. exilium, mutilationem & multam pecuniariam, &c.

Lex pœnalis, alia est merè pœnalis, alia mixta.

Lex merè pœnalis ea est, quæ non est præceptiva, sed tantum pœnalis, ut cum Legislator non habet intentionem obligandi, sed solum infligendi pœnam.

Lex pœnalis mixta ea est, quæ simul præceptiva est & pœnalis, ut cum Legislator habet intentionem obligandi sub peccato, & simul infligendi pœnam. Legislator autem censetur semper habere intentionem obligandi sub peccato, quando legem statuit, nisi expressè exprimat se non habere intentionem obligandi sub peccato.

P R O P O S I T I O unica. Lex merè pœnalis obligat solum ad pœnam juxta rationalem intentionem Legislatoris subeundam; lex verò pœnalis mixta obligat ad culpam simul & pœnam subeundam pariter juxta intentionem rationalem Legislatoris.

Probatur. Omnis lex obligat juxta intentionem rationalem Legislatoris, ut patet ex dictis; atqui Legislator habet intentionem obligandi solum ad pœnam, cum condit legem mere pœnalem, habet verò intentionem obligandi ad culpam simul & pœnam, quando condit legem pœnalem mixtam, ut patet ex prænotatis: ergo lex mere pœnalis obligat tantum ad pœnam, lex verò pœnalis mixta obligat ad culpam simul & pœnam. Et quia lex non obligat nisi juxta intentionem rationalem Legislatoris, culpa non contrahitur, & pœna non est subeunda, nisi juxta intentionem rationalem Legislatoris.

Consecaria hujus Doctrinæ , circa vim obligatoriam legis , & mere pœnalis , & mixtae.

C O N S E C T A R I U M I. Lex mere pœnalis , in qua Legislator expressè afferit se nolle obligare sub peccato , non ligat sub reatu culpæ ; quia talis est intentio Legislatoris .

Sic statuta multorum Religiosorum , v. g. Dominicanorum , Patrum Doctrinæ Christianæ , non obligant sub peccato ; quia ita expressè fertur in constitutionibus , modo absit scandalum & contemptus .

C O N S E C T A R I U M II. Lex pœnalis disjunctivè , in qua Legislator expressè afferit se velle obligare , vel ad culpam , vel ad pœnam , non obligat ad utrumque , sed solum ad alterutrum , vel ad pœnam , vel ad culpam : sicuti votum pœuale obligat tantum , vel ad culpam , vel ad pœnam ; quia talis est intentio Legislatoris .

Sic ista lex : nemo frumentum extra regnum efferat , vel si efferat , solvat centum nummos : cogit , vel ut non efferas frumentum , vel si efferas , ut solvas argentum præscriptum .

C O N S E C T A R I U M III. Lex pœnalis mixta , in qua Legislator expressè afferit se velle obligare subditos juxta formam juris , obligat sub peccato ; quia lex tunc censetur præceptiva & pœnalis .

Sic peccant , qui contra vetitum cædunt ligna in Sylvis ; qui piscantur in fluminibus ; qui sal , tabacum emunt , aut vendunt ; quia

edicta regia edita circa hæc vulgo secundum formam juris exprimuntur.

CONSECTARIUM IV. Lex pœnalis mixta, in qua Legislator non explicitè asserit, ad quid velit obligare, an ad culpam solum, an ad pœnam solum; an ad culpam simul & pœnam, est examinanda, ut constet de intentione Legislatoris, quia lex ligat juxta intentionem Legislatoris.

Regula ad dignoscendum, quandonam lex pœnalis sit mere pœnalis, quando vero sit mixta.

I. Regula. Si Legislator intendat verè legem condere, tunc lex pœnalis est mixta, & obligat sub peccato; quià, ut ait Bellarminus lib. 3. de Laicis cap. 11. Ex intentione Legislatoris pendet, an revera velit impetrare..... Sed non est in ejus potestate impedire, quin lex obliget, & tantum abest quod appositiō pœnae eximat à culpa, quin immo indicat violationi legis inesse peccatum: omnis enim pœna si justa, peccati pœna est, inquit Aug. lib. 11. retract. cap. 9.

Sic omnis lex naturalis, cui additur conscientiæ remorsus; omnis lex divina, cuius violationi additur pœna æternæ inflictio; omnis lex Ecclesiastica, cui additur excommunication; omnis lex civilis, cui additur pœna, vel diffamans, vel corporalis; obligat sub peccato. 1°. Quia lex pœnalis obligat. 2°. Quia nemo ita est Dominus, tum sui corporis, tum suæ famæ, ut possit voluntaria legis violatione exponere se, aut

subeundæ pœnæ corporali , aut infamiae incurrandæ.

2. *Regula.* Si Legislator non intendat ve-
rè legem condere , sed concessionem stabi-
lire , quæ acquirat pecunias , & ærarium au-
geat , tunc videtur non velle obligare ad
culpam , sed solum ad solvendam summam
taxataam pro obtainenda concessione : tunc ,
inquit Soto , de Just. & Jure lib. I. q. 6 a. 6.
Intentio Legislatoris non est legem condere ,
quæ liget ad culpam , sed conventionem ini-
re , quæ pretio licitum fiat id , quod sine ta-
li pretio esset illicitum tales sunt vulgo le-
ges , quas statuunt Principes instantibus &
quasi cogentibus publicanis .

3. *Regula.* In dubio an edictum Principis
liget , vel ad culpam solum , vel ad pœnam
solum ; an velit legem condere , vel solum
media invenire , quibus ærarium augeat ;
tunc judicandum est edictum obligare ad cul-
pam ; quia in dubiis tutior pars est amplec-
tenda , ut dicitur ubi de probabilitate .

*Consectaria circa obligationem subeundi pœnas
per Legislatorem inflatas.*

CONSECTARIUM I. Quando lex pœ-
nalis statuit contra infractores pœnas aliquas
temporales . auferentes bona , quæ transgres-
sor actu possidet , v. g. statuit mortem , exilium ,
mutilationem , carcere , bonorum
fortunæ expilationem : licet lex dicat , *ipso
facto* , tamen transgressor non tenetur illam
pœnam subire , nisi post juridicam senten-
tiā : quia talis est rationalis intentio Le-
gij

gillatotis ; alias quicumque in hanc legem peccaret , simul in seipsum judex esset , & reus ; quod nec natura patitur , nec conditio nocentis sustinet ; unde , ait Gregorius cap. Suscepis , de causarum possessione & proprietate : *Contra inauditam partem nihil possumus definire.*

Sic leges pœnales contra Hæreticos , contra Siccarios , contra eos , qui nefarias nuptias contrahunt , contra raptores , contra fautores infidelium , privantes illos *ipso facto* omnibus bonis temporalibus , non ita ligant , ut pœna illa statim subeatur ab infraactoribus , sed solum post latam sententiam ; potest enim reus multas excusationes allegare , quæ vigorem juris temperabunt .

C O N S E C T A R I U M I I. Quando lex pœnalis conditionalis statuit contra infraactores pœnas temporales impedientes , aut acquisitionem , aut retentionem honorum quæ nec acquiri , nec retineri possunt , nisi per observantiam legis conditionalis ; illæ , inquam , pœnæ sunt subeundæ à transgressoribus ante juridicam sententiam ; quia rationalis intentio Legislatoris est , ut nec acquirantur , nec retineantur bona , nisi ab his , qui legem aut conditionem statutam observaverint : Ita Soto de justitia & jure lib. t. q. 6 ar 6 in responsione ad objecta .

Sic pœnæ late contra Simoniacos , privantes illos aut beneficiis simoniaceis acceptis , aut fructibus eorumdem benefi iorum , vel perceptis , vel à diligenti posseffore percipiendis , sunt subeundæ ante sententiam Iudicis ; quia talis est intentio Legislatoris .

Ita videtur docere D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 6 ad 3. Collatio enim simoniaca est non solum illicita, sed etiam invalida & nulla; si collatio est nulla: ergo recipiens beneficium nullum jus acquirit circa illud, nec circa ejus fructus: Sicque ante judicis sententiam tenetur beneficio renuntiare, & quod accepit, utpote alienum, restituere.

Sic lex vetans, ne temporale recipiatur pro collatione ordinum, vel beneficii, pro ingressu in religionem; vel jubens, ut temporale acceptum restituatur Ecclesiæ, cui facta est injuria: illa, inquam, lex poenalis est observanda ante judicis sententiam; quia jus reddit recipientem incapacem tale premium recipiendi, & à dante removet facultatem, datum temporale repetendi, utrumque in poenam ex ipso delicto incurriendam: ita videtur docere D. Thom. q. 100. art. ad 4.

Sic lex lata contra Clericos alienantes bona Ecclesiastica, privans illos, *Ipsa facta*, omni beneficio Ecclesiastico; lex data contra judices ferentes sententiam pro pecunia, vetans ne pecunias accipiant, aut jubens, ut acceptam pecuniam restituant; lex lata contra Clericos non residentes, non recitantes horas Canonicas, vetans, ne reditus Ecclesiasticos suos faciant: hæc, inquam, penæ, sunt subeundæ ab infractoribus ante juridicam sententiam; quia talis est intentio Legislatoris; unde damnata est hæc proposilio a. Cl Gal. art. 22. Restitutio a. Pio V. Imposita beneficiatis non recitantibus officium non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam; et quod poena sit.

Sic conditio pœnalis statuta à fundatore Collegii, ut qui tale crimen commiscerit sit *Ipsò factō* privatus juribus Collegii. Item conditio statuta à testatore, ut hæres aut legatarius frui bonis testatoris non valeat, si rem talem omittat, aut talem faciat, adimplenda est ante juridicam sententiam; quia talis est rationalis intentio, vel fundatoris, vel testatoris, quæ vim habet legis.

C O N S E C T A R I U M III. Quando lex pœnalis statuit contra infractores pœnissimum spirituales, vel inhabilitatem ad aliquid spirituale, *Ipsò factō*, incurriendam; illæ pœnæ subeundæ sunt ante sententiam juridicam; quia talis est rationalis intentio Legislatoris, talis quippe pœna non postulat actionem ipsi reo valde contrariam; sed exigit solum cessationem spiritualis alicujus exercitii, v. g. cessationem à divinis, absentiam à choro; & æquum est, ut Ecclesia absque strepitu forensi possit bona spiritualia, quorum est dispensatrix, largiri filiis obedientibus, & eisdem bonis private filios contumaces.

Sic simoniacus confidentialis, simoniacus in electione Papæ, simoniacus recipiendo aliquid pro examine Parochorum, ante sententiam judicis privatur omnibus beneficiis, quæ habet, & redditur inhabilis ad alia. Primum casum determinat Bulla Pii V. Secundum verò Concilium Lateranense sub Julio II. Terrium autem Concilium Trident. sic censor, *Ipsò factō* incurriendæ, incurruunt in foro conscientiæ ante juridicam sententiam.

Sic pœnæ spirituales leves, ipsisque infractoribus utilæ, v. g. jejunium, oratio, &c. sunt suæ cunctæ ante sententiam juridicam: quia levitas pœnæ, & peccantis utilitas id videntur exigere.

C O N S E C T A R I U M IV. Quando lex nomine temus pœnalis, statuit inabilitatem aliquam incurriendam ab illo, qui istud aut illud fecerit; inabilitas illa contrahitur, *Ipsò factō*. ante juridicam sententiam; quia talis est rationalis intentio Legislatoris, ut qui id fecerit, fiat incapax talis dignitatis.

Sic judex damnans reum morti, *Ipsò factō*, sit irregularis, homo contrahendo secundas nuptias, & natus nascens ex turpi commercio, *Ipsò factō*, eundem defectum incurrit.

C O N S E C T A R I U M V Quando lex pœnalis statuit contra infractores pœnas aliquas spirituales, quæ irritent, *Ipsò factō*, actus judiciales, aut quæsi judiciales, elicitos, aut eliciendos, non habet suum effectum, nisi post juridicam sententiam; quia rationalis intentio Legislatoris talis est, aut esse debet, ut potestas judicialis, aut quasi judicialis, non cesset, nisi actu judiciali.

Sic ante sententiam juridicam acta interna, Parochi, v. g. Absolutio Sacramentalis, acta publica electoris, v. g. electio activa, vel passiva habentur ut valida, si sunt ab eo, qui habet titulum, vel verum, vel coloratum, licet peccaverit contra legem vetantem aliquid sub pœna privationis beneficij, vel officij, vel potestatis eligendi, *Ipsò factō*, incurrienda; absolutio Sacramentalis est

200 MORALIS CHRISTIANA:
valida, ut consulatur conscientiarum quieti,
ita Natalis lib 4. reg. 13. Electio est valida;
alioquin vix ulla tuta esset electio; quia
dubitandi locus esset in omni electione, num
aliquis ex electoribus inhabilis occulte esset
ad eligendum.

ARTICULUS III.

*Quomodo obliget Ex, quando plures leges con-
currunt, & una vel determinatur, vel
emendatur, vel roboratur per aliam.*

Nota 1°. Quod homo quadruplici jure
dirigitur, scilicet jure naturali, jure
gentium, jure civili. & jure Ecclesiastico.

Si homo consideretur quatenus animal,
dirigitur jure naturali præcisè, quo jure mas-
culus & fœmina conjuguntur, natos pro-
creant, & nutriunt, uti naturâ duce ceteri-
mus animalia facere.

Si homo consideretur ut rationalis, di-
rigitur jure naturali determinato per jus gen-
tium, quo jure fidem servamus, pacta non
frangimus, Deum, patriam, & parentes ob-
servamus & colimus: uti fieri videmus apud
gentes etiam maximè barbaras.

Si homo consideretur quatenus pars ali-
eujus Reipublicæ, dirigitur jure naturali &
gentium determinato per jus civile; quo ju-
re Romanus jure Romanorum vivit, Gallus
jure Gallorum.

Si homo consideretur quatenus Christia-
nus, dirigitur jure naturali, jure gentium,
jure civili determinatis per jus Ecclesiasti-

TRACT. IV. CAP. III. 201
cum, quo jure homo ad æternam salutem
consequendam destinatur.

Nota 2°. Quod prædictæ leges, scilicet lex naturalis, lex gentium, lex civilis, lex Ecclesiastica, ita se habent, ut sæpè versentur circa idem objectum, v. g. jus naturale, jus gentium, jus civile, jus Ecclesiasticum versantur circa matrimonium; & jus quodlibet determinat aliquid circa matrimonium, v. g. jus naturæ jubet tantum vagè, ut masculus cum fœmina ejusdem speciei, & non alterius; connubium inеant. Jus gentium jubet insuper, ut matrimonia maris & fœminæ cum certis pactis celebrentur. Jus civile arctius matrimonium limitat, & jubet fieri, ut regni & civitatis commodum postulat. Jus Ecclesiasticum matrimonium adhuc strictius frænat, & jubet fieri matrimonium, non modò masculi cum fœmina, ut natura suggerit, non solum cum certis pactis, ut ratio suadet, non solum pariter juxta civium placita, ut civilis utilitas postulat, sed adhuc cum sacris solemnitatibus uti salus æterna contrahentium exigit.

Nota 3°. Quod quando plures leges versantur circa eamdem rem, vel præceptam, vel prohibitam, hæ leges ita se habent ad invicem, ut vel minus vaga determinet magis vagam, vel magis perfecta emendet minus perfectam, vel demum altera alteram contaboret & confirmet.

Sic in exemplo allato matrimonii, jus naturale per jus gentium; jus gentium per jus civile, jus verò civile per jus Ecclesiasticum determinantur.

Sic Lex Mosaica per Evangelicam emendatur, & lex civilis per Ecclesiasticam in multis corrigitur.

Sic demum s^epe Lex Ecclesiastica & civilis mutuò se juvant. Ecclesia civiles leges potestate suā spirituali venerandas efficit, infligendo scilicet censuras his, qui potestatis resistunt. Item Princeps Ecclesiasticas leges tremendas reddit, infligendo mulctas, exilia, mortem his, qui Ecclesiae resistunt: istud paucis verbis expressit Julius III. *Sicut leges, inquit, non deditur Sacros Canones imitari, ita & Sacrorum statuta Canonum Principum constitutionibus adjuvantur.* His prænotatis, quæ fusiūs infra discutientur. Sit ergo.

P R O P O S I T I O I. Quando lex magis universalis determinatur per minùs universalem, v. g. jus naturale per jus gentium, jus gentium per jus civile, jus civile per Ecclesiasticum. Tunc oportet legem magis universalem observare juxta modum, secundūm quem determinatur per minùs universalem.

Probatur 1°. Exemplo desumpto ex Scripturā; constat, quod lex naturalis Decalogi observabatur à Judæis juxta modum, secundum quem determinabatur per Legem Mosäicam, observatur modò à Christianis juxta modum, secundūm quem determinatur per legem Evangelicam: ergo lex minùs universalis observanda est juxta modum, secundūm quem determinatur per legem minùs universalēm.

2^o. Ratione. Homo debet tendere ad beatitudinem supernaturalem ; quia ob illam creatus est : atqui non potest tendere ad illam beatitudinem , nisi observet leges juxta modum , secundum quem una determinatur per aliam , v. g. jus naturæ per jus gentium , jus gentium per jus civile , jus civile per jus Ecclesiasticum ; quia aliás homo non circa sua omnia munia dirigeretur. Homo quippe dirigitur ut animal per jus naturale ; ut rationalis per jus gentium ; ut civis per jus civile ; ut Christianus per jus Ecclesiasticum : ergo homo debet legem magis universalem observare juxta modum , secundum quem determinatur per minus universalē. Adde , quod lex non dirigit hominem , ut oportet , nisi munia omnia ab homine exequenda explicet ; quod lex minime facit , nisi consideretur , quatenus magis vagā determinantur per minus vagam , & magis universalis per minus universalē.

Consecrarium hujus Doctrinæ.

Jus naturæ , jus gentium , jus civile non observantur , ut oportet ; nisi considerentur , quatenus per leges particulares determinantur.

Sic jus naturæ vagè & generatim inspirat , quod homo debeat Deo religionem , sibi ipsi curam mentis & corporis , æqualibus amorem , superioribus observantiam , Reipublicæ subjectionem . Sed ea omnia munia , quæ natura inspirat , ut par est , exerceri non possunt , nisi observentur juxta modum ,

secundum quem per leges particulares determinantur, v. g. Qualis debeat esse pietas nostra erga Deum, determinat Ecclesia, festa instituendo, certa pietatis exercitria, quibus festa celebrentur, prescribendo; dispositiones, quibus instituta à Christo Sacra-menta recipientur decernendo. Qualis debeat esse cura nostri tum corporis tum animi de terminat Ecclesia, decernendo quædam abstinen-tiæ & jejuniorum tempora, corporibus ani-misque curandis salubriter instituta. Qualis debeat esse amor erga æquales, observantia erga superiores, subjectio erga Rempubli-cam, determinat Ecclesia, dum sigillatim istæ omnia munia suis canonibus pres-cribit.

Sic bella, servitutes, &c. jus gentium indicit, ut remotis perduellionibus quietè & pacificè vivamus. Sed qualia debeant esse bella, quibusve conditionibus fieri debeant servitutes, jus civile & Ecclesiasticum de-terminant.

Sic jus civile commune, contractus, testa-menta, donationes, &c. introducit, quibus rerum dominia transferuntur. Sed jus civile peculiare, certas conditiones contractibus, testamentis, donationibus, &c. apponit, quæ juxta locorum & temporum diversitatem va-riantur.

P R O P O S I T I O II. Quando aliqua lex emendatur per aliam, v. g. civilis per Ec-clesiasticam, tunc oportet legi juxta modum, secundum quem emendatur, obtemperare.

Probatur 1°. Exemplo desumpto ex Scrip-tura. Lex Mosaïca in multis emenda-ta est per

pœ legem Evangelicam ; nunc autem Mosaïcam legem non sequimur , nisi juxta emendationem à Christo traditam : ergo cum lex emendatur per aliam , non est audienda , nisi juxta modum , secundum quem emendatur.

2°. Ratione. Quoties potentia , per quam dirigimur , est fallibilis , eam in his , in quibus fallitur , non sequimur , nisi prout emendatur per superiorem potentiam ; quia imprudentis est his , qui semel deceperunt , leviter credere. Sic sensum in his , in quibus fallitur , non sequimur , nisi prius emendatur per intellectum. Sic intellectum pariter non sequimur in his , in quibus errat , nisi pro ut emendatur perfidem : ergo cum lex aliqua est fallibilis , in his , in quibus fallitur , non est sequenda , nisi pro ut per legem superiorem emendatur.

Consellarium hujus Doctrinae.

Quoties lex civilis emendatur per Ecclesiasticam , toties sequenda est præcisè juxta modum , secundum quem emendatur ; alias sequeremur regulam fallacem , etiam in eo , in quo fallitur.

Sic jus civile usucapiones & præscriptiones stabilit ; & hoc quidem meritò , scilicet ne dominia rerum maneat in incerto , ne lites fiant immortales : & in hoc servanda est lex civilis ; quia justa. Sed iure civili receptum est , quod sufficiat à principio bona fides ; non autem quod necessaria sit ad perficiendam , sive compleundam præscriptionem.

& in hoc corrigenda est lex civilis per Ecclesiasticam , quæ exigit , ut & initio , & successu , & demum toto tempore præscriptionis possessor sit bonæ fidei , hoc est , quod existimet , rem , quam possidet , esse suam , & non alienam , juxta hanc regulam : *Possessor malæ fidei ulti tempore non præscribit.*
Reg. 11. in 6.

* Sic leges extant civiles de non alendis libetis à parentibus , ex incestu , vel alias à legibus damnato concubitu natis ; scilicet ut incestuosæ copulæ horrorem ingenerent.

Justæ leges in eo , quod horrorem contra incestum animis hominum velint imprimere ; sed injustæ , quod prolem innocentem puniant : & in hoc corrigendæ sunt per jus Ecclesiasticum , quo parentes hujus criminis rei pœnitentiæ addicuntur , incestuosæ proli alimenta ministrantur , sed titulus hereditarius ei interdicitur.

Sic leges civiles tolerant , & impunitum relinquunt patrem , qui filiam suam in adulterio deprehensam , interficit ff. de adult. L. Pater.

Justæ quidem leges in hoc , quod velint adulterium puniri , sed injustæ in hoc , quod homini privato jus conferant puniendi adulterii ; & circa hoc corrigendæ per jus Ecclesiasticum , quo nec adulter , nec adultera occiditur , sed thorus separatur , & fœmina ad pœnitentiam agendam in arctissimum monasterium detruditur.

Sic leges aliquæ civiles usuras solutas repeti posse prohibent , venditiones , & emptiones , modò non sint infra , vel supra di-

midium justi pretii, non recindunt. C. de rescin vend. L. 2.

Justæ quidem in eo leges, quod in odium litium pro modica læsione actionem dari non permittant, sed injustæ in hoc, quod vel minimum damnum illatum proximo reparari non jubeant: & circa hoc corriguntur per jus Ecclesiasticum, quo jubetur usuras injustè acceptas restitui; & in emptione & venditione res ad æqualitatem reduci.

Sic circa matrimonium jus civile permittit filium germani unius posse contrahere matrimonium cum filia germani alterius, inst. de nup. §. inter eas. lex verò canonica vetat.

Jus civile interdicit puellam raptam posse contrahere cum suo raptore C. de rap. Virg. L. unica. Lex vero Canonica permittit, modo in loco tuto redditia fuerit.

Jus civile viduam nubentem intra annum luctus damnat infamiā C. de secund. nupt. L. 1. & 2. Jus verò Canonicum à tali infamia liberat; quia, ut permittit Apostolus: *Nubat mulier, cui volnerit, in Domino.*

Sic jus civile permittens homini soluto concubinam habere, ut in auth. quibus mod. nat. effi. sui § si quis Coll. VII. Corrigitur per jus Canonicum, quo illicita declaratur simplex fornicatio. Item jus civile permittens maleficia circa imbres fugandas, ventos retinendos, grandines arcendas C. de mal. L. eorum. Per jus Canonicum corrigitur, quo interdicitur omne cum Dæmone commercium.

Sic deinceps quoties leges civiles consciens
Sij

tiam , ut oportet , non dirigunt , ut potè
externam potius politiam attendentes , quām
internam coram Deo justitiam exigentes ,
toties ex ipsomet etiam Justiniano emen-
dandæ sunt per jus Ecclesiasticum. Sic enim
habet Nov. 131. de Eccles. titulis §. Sanc-
tus igitur , inquit , vicem legum obtinere sanc-
tas Ecclesiasticas regulas , quæ à sanctis qua-
tuor Conciliis expositæ sunt aut firmatæ. Ni-
ceno scilicet , Constantinopolitano , Ephesi-
no & Calcedonensi ; idem dicto de aliis :
*Prædictarum quathor Synodorum dogmata , si-
cut sanctas scripturas , accipimus , & regulas*
sicut leges observamus.

PROPOSITIO III. Quando lex Eccle-
siastica est accessoria legi civili , vel lex ci-
viles accessoria legi Ecclesiasticæ , tantiū vi-
get lex accessoria , quamdiu viget lex prin-
cipalis , & hoc ipso lex accessoria vigorem
amittit , quod vigere cessat lex principalis.

Probatur 1°. Ex communi effato iuris : Ac-
cessorium sequitur naturam principalis ; Ergo
lex accessoria viget quamdiu viget principa-
lis ; abrogatur verò , abrogatâ principali.

2°. Ratione. Lex accessoria est quasi me-
dium ; lex verò principalis est quasi finis
cum lex accessoria sit propter principalem.
Atqui tamdiu durat medium , quamdiu durat
finis ; cessat verò , cessante fine ; ergo tamdiu
viget lex accessoria , quamdiu viget lex prin-
cipalis , cessat verò lex accessoria , hoc ipso
quo cessat principalis.

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Leges Ecclesiasticæ infligentes censuras, eo præcisè fine ut robur addant legibus civilibus, easque magis venerandas populis reddant, cessant censuras infligere hoc ipso quod, vel per auctoritatem principis, vel per non usum abrogatæ sunt leges illæ civiles.

Sic teste D. de Marca. lib. 4. Conc. cap. 34. Qui ob violatam treugam & pacem excommunicabantur, vel ob alia crimina caderant in censuras, eas censuras Principibus ab Ecclesia postulantibus, illæ inquam excommunicationes, illæ censuræ cessabant, hoc ipso quod qui eas censuras incurrerant admittebantur à principibus ad communionem, ad mensam; quia Ecclesia non alio fine censuras statuerat, quam ut regum voluntati faveret.

CONSECTARIUM II. Leges civiles infligentes poenas temporales præcisè eo fine ut robur addant quibusdam legibus Ecclesiasticis, cessant hoc ipso quod, vel per auctoritatem præsulum, vel per consuetudinem legitimam leges illæ Ecclesiasticæ vigere desinunt.

Sic leges imperiales de diaconissarum ætate, ut quinquaginta sint annorum, de ætate præsbyterorum ut sint triginta quinque annorum, de ætate professionis in Monasterio, ut non fiat ante annum vigesimum: haec, inquam & aliæ multæ leges civiles, & penæ ab ipsis inflicteræ cessarunt; quia ex le-

ges non latæ sunt nisi ad confirmandas leges Ecclesiasticas, quæ non amplius vigent: aliter Ecclesiâ disponente.

C O N S E C T A R I U M III. Qui voluerint Jus Canonicum & civile addiscere methodo, quæ viris Ecclesiasticis conveniat, poterant, utriusque juris Concordantiam efformare: ita præstitit Joannes Antiochenus, & Photius uterque in suo Monocanone: eam nos methodum uberioris trademus in quarto Tomo ubi compendium utriusque juris elaborabimus pro nostro modulo.

ARTICULUS IV.

Quomodo obligent leges, quando plures concurrent, quæ invicem videntur opponi, quæque simul servari non possunt.

PROPOSITIO unica. In concursu legum, quæ invicem videntur opponi, & quæ simul servati non possunt, lex fortior est observanda, alia vero omittenda.

Probatur 1°. Scriptura: *Si justum est, inquietunt Apostoli, in conspectu Dei vos potius audire, quam Deum, judicate;* Act 4. v. 19. Indicantes legem divinam, utpote fortioriem, esse humanæ præferendam: & proinde cum leges invicem videntur opponi, eam esse observandam, quæ fortior est, & minùs esse dispensabilem.

2°. Ex Greg. lib. 2. Moral. *Dum mens inter majora & minora peccata constringitur, & non est adiutus evadendi, minora semper eligitur.*

3º. Ratione. Lex ligat juxta intentionem rationalem Legislatoris: intentio autem Legislatoris, si justa sit, talis debet esse, ut lex fortior, fortius liget; quia inferior potestas cessat vim habere, accedente superiori.

Consecaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Præcepta negativa, fortius ligant, quam affirmativa ejusdem generis; quia ista obligant: *Ad semper, & pro semper*, minimè alia: ideo omituntur affirmativa; ut observentur negativa ejusdem generis.

Sic conserva vitam tuam, præceptum est affirmativum juris naturæ; non habebis Deos alienos coram me, non perjurabis, non inhonorabis parentes, non mœchaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, præcepta sunt negativa ejusdem iutis naturæ: debemus prætermittere præceptum affirmativum de conservanda vita, & mori potius quam violare aliquod ex prædictis præceptis negativis:

Sacerdos non celebret missam nisi jejonus, præceptum est negativum Juris positivi Ecclesiastici, fideles missam audiant diebus festis, præceptum est affirmativum ejusdem juris positivi; satius est prætermittere istud præceptum affirmativum, missam auditio, quam violare istud negativum, nullus celebret post comedionem: satius est, ut aliquis privatus fidelis non audiat missam, sed rarer pliis piis exercitiis, quam ut missa

212 MORALIS CHRISTIANA.
celebretur à Sacerdote non jejuno.

CONSECTARIUM II. Præcepta naturalia fortius ligant, quām præcepta positiva; quia jus naturale verat, quod est ex se malum, & jubet quod est ex se bonum; jus verò positivum jubet, aut verat, quod est indiferens: ideo omittuntur præcepta positiva, ut observentur naturalia.

Sic præceptum observandi festa, audiendi missam, confitendi peccata, communicandi, jejunandi, & abstinendi à carnis cibis certis diebus, sunt præcepta positiva juris Ecclesiastici; si non potes aliquid ex illis præceptis servare sine violatione præcepti naturalis, debes prætermittere præceptum positivum, ut observes naturale, v. g. debes vacare servilibus diebus festis potius, quām omittere defensionem patriæ ab hostibus devastandæ, ut fecerunt Machabæi bellantes fortiter die Sabbato; debes missam omittere potius, quam præmium graviter ægrotantem sine auxilio solum deferre; debes manducare carnes, potius quām fame obire; debes non jejunare, potius quām jejunio indiscreto tibi vitam eripere.

CONSECTARIUM III. Præcepta positiva juris divini fortius ligant, quām positiva juris Ecclesiastici, & positiva juris Ecclesiastici fortius ligant, quam positiva juris civilis; quia lex divina est fortior humana, & Ecclesiastica lex haud dubie prævalet imperiali.

Sic præceptum Christi est, ut Sacramentum Eucharistiae semel incepsum perficiatur, sic sacrificium derelinquatur imperfectum;

præceptum Ecclesiæ est , ut Sacerdos non celebret nisi jejonus ; si Sacerdos jejonus post consecrationem , vel panis solum , vel panis simul & vini in sincopem incideret , ita ut non posset sacrificium incepturn perficere , vel perfectum consummare , & non adesset aliis Sacerdos jejonus , debet Sacerdos etiam non jejonus persequi , speciem non consecratam consecrare , & si ambæ sint consecratæ . eas sumere , omittendo præceptum Ecclesiasticum , quo cavetur , ut Sacerdos jejonus celebret ; id quidem ut observetur divinum præceptum , quo interdictatur , ne sacrificium incepturn relinquatur imperfectum.

Sic præceptum est , ut Sacraenta conferantur ritè dispositis . & opus tali remedio habentibus : præceptum Ecclesiasticum est , ut eadem Sacraenta conferantur cum solemni quadam ritu ; instat mortis periculum , non potes ritus omnes ab Ecclesia præscriptos peragere , debes illos ritus omittere , & sola requisita ad Sacramenti substantiam adhibere potius , quam permittere , ut fidelis sine Sacramento decedat.

C O N S E C T A R I U M IV. Præcepta magis necessaria fortius ligant , quam minus necessaria : & ita si concurrant duo præcepta invicem opposita , sive ejusdem , sive diversi generis , illud præceptum est observandum , cuius transgressio magis noceret ; illud vero omittendum , cuius obseruantia minus prodebet ; nam præceptum è magis urget , quod magis ejus violatio est noxia ; cum præcepta observentur ad vitandum peccatum animæ.

Sic non expones salutem proximi, præceptum est charitatis: non expones Sacramentum nullitati, præceptum est religionis; oportet potius exponere Sacramentum nullitati, quām salutem proximi; tum quia præceptum charitatis magis urget, quām præceptum religionis; tum quia Sacra menta sunt propter hominem, & non homo propter Sacra menta.

Sic non sines perire infantem sine baptismo, præceptum est Christi; baptisabis in aquā verā & naturali, est pariter præceptum Christi; occurrit tibi infans proximè moriturus, non habes nisi aquam dubiam, debes potius baptisare in aquā dubiā, quām permettere infantem decedere sine baptismo; quia tūtiū est eum baptisari baptismo dubio, quām nullo, ob idem principium damus absolutionem moribundo sub levi conjectura eum esse contritum; quia melius est cum sic absolvi, quam non absolvi.

Sic non dabis Sacra menta adultis, nisi sis moraliter certus eos esse dispositos; præceptum est Christi, dicentis: *Nelite dare sanctum canibus.*

Accedit adultus sanus corpore, petens Sacramentum sibi absolutē necessarium, v. g. baptismum, vel pœnitentiam: dubitas prudenter, an sit sufficienter dispositus, debes differre, donec constet de dispositione; quia nihil periclitares differendo, sed periclitatis maxime præcipitando.

Accedit adultus brevi moriturus, qui vel per se, vel per alios, petiit Sacramentum sibi absolutē necessarium, v. g. Baptismum,

aut pœnitentiam. Si tibi non constet eum positivè indignum, debes incunctanter conferre Sacramentum; quia satius est exponere Sacramentum, quam salutis proximi æternum periculum facere.

CAPUT IV.

Quantum extendatur quelibet Lex.

ARTICULUS I.

Ad quæ se extendat voluntas Dei, & quantum causa, & quantum Lex.

Nota. Voluntas Dei potest considerari ut causa, & potest considerari ut Lex.

Voluntas Dei ut causa, est principium vel effectivum vel permissivum omnium, quæ in mundo eveniente cernimus.

Voluntas Dei ut Lex, est regula omnium vel agendorum vel omittendorum.

PROPOSITIO unica. Voluntas Dei considerata ut causa, est principium effectivum bonorum omnium, quæ auxilio Dei facimus, & principium permissivum peccatorum omnium, quæ malitiâ nostrâ committimus. Considerata vero ut lex, est regula omnium, quæ aut agere debemus, aut omittere.

Probatur 1°. Scripturâ. Esther 13. v. 9. *Domine domine Rex omnipotens in ditione tua cuncta sunt posita; & non est, qui possit tua resistere voluntati: si decreveris salvare Israël. Ergo, si omnia sint sub ditione Dei, omnia*

subjiciuntur voluntati Dei , quatenus est lex . Quod si nihil possit resistere voluntati Dei , omnia , quæ fiunt in mundo , voluntate di- vinâ , prout est causa , vel effectiva , vel per- missiva , eveniunt .

2° . Ex Aug qui loquens de voluntate Dei , ut est causa , sic habet : *Nihil fit , nisi omnipotens fieri voluerit , vel sinendo , ut fiat , vel ipse faciendo* . Loquens verò de vo- luntate Dei , ut est lex , sic scribit . lib . 19 . de Civ . cap . 22 . *Nullomodo aliquid legibus summi creatoris , ordinationi que subtrahitur , à quo pax universitatis administratur* . Ergo voluntas Dei ut causa , vel efficit , vel per- mittit omnia ; ut lex , est regula omnium .

3° . Ratione . Deus est causa universalis : ergo est principium effectivum omnium bonorum , idèò dicitur Jacob . 1 . v . 17 . *Omne datum optimum ; & omne donum perfectum , de sursum est , descendens à patre luminum* . Est verò principium permisssivum peccatorum , ideo dicitur Amos . 3 . v . 6 . *Si erit malum in civitate , quod non fecerit Dominus* . Deus est supremus Legislator , quem in omnibus de- bemus consulere , juxta illud Psal . 118 . v . 27 . *Viam justificationum tuarum instrue me , & exercebor in mirabilibus tuis , & v . 66 . Bonitatem , & disciplinam , & scientiam doce me* . Ergo voluntas Dei , ut causa , vel efficit , vel permittit omnia ; ut lex , est regula om- nium .

Consecaria hujus Doctrinae

CONSECTARIUM I. Voluntas Dei ,

ut causa , efficit , vel permittit omnia : ergo in omnibus , quæ in mundo eveniunt , adotanda est , & non curiosius scrutanda : *Altiora te ne quæsieris , inquit Sapiens , & fortiorate ne scrutatus fueris.* Ecclis. 3. v. 22. etenim , ut dicit idem Sapiens : *Sicut qui mel multum comedit , non est ei bonum ; sic qui scrutator est majestatis , opprimetur à gloria.* Prov. 25. v. 27.

Ideo voluntas Dei in operibus naturæ tam ritè & sapienter concinnatis est & contemplanda , & laudanda , juxta illud Psal. 91. v. 3. *Quia delectasti me Domine in factura tua , & in operibus manuum tuarum exultabo , & rursus Psal. 103. v. 25. Quam magnifica sunt opera tua Domine , omnia in sapientia fecisti : impleta est terra possessione tua.*

In operibus gratiæ , in quibus Deus : *Cujus vult , miseretur , & quem vult , indurat ,* ad Rom. 9. v. 18. non audienda est ratio humana superbè ratiocinans , sed auscultanda fides Catholica humiliter credens , audiendus est Christus , dicens : *Confiteor tibi pater Domine cœli & terræ , quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus , & revelasti ea parvulis ; ita pater quoniam sic , placitum fuit ante te.* Math. 11. v. 25. Audiendus Paulus exclamans : *O altitudo divinarum sapientie & scientie Dei , quam incomprehensibilia sunt judicia ejus , & investigabiles viæ ejus ,* ad Rom. 11. v. 33. Audiendus est Aug. tract. 26. in Joan. sic nos sapienter monens : *Quare hunc trahat , & illum non trahat , noti velle dijudicare , si non vis errare.*

In operibus justitiæ , in quibus Deus pu-

nit peccatores , & remunerat justos , non accusandus , quod , ut loquitur Paulus ad Roman. 9. v. 22. *Volens ostendere iram , & notam facere potentiam suam , susinuit in multa patientia , vasa iræ apta in interitum ; Sed laudandus & benedicendus , quod ostenderit divitias glorie suæ in vasa misericordiae , quæ præparavit in gloriam.* Gratiæ agendæ Deo , quod misericorditer per gratiam Christi salvet quāmplurimos ; qui in pœnam peccati Adami potuissent perdere singulos.

In peccatis , quæ permittit , adoranda est suprema Dei bonitas , ut docet Aug. Ench. cap. II. ubi docet , quod : *Deus adeò est potens , quod etiam bona potest Sacere de malis ; Sed nequaquam inculpandus , quod ea etiam peccata puniat , quæ permittit , ut docet Paulus ad Rom. 3. v. 5. his verbis : Si autem iniqüitas nostra justitiam Dei commendat , quid dicemus ? numquid ini quis est Deus qui infert iram (secundum hominem dico) ab sit alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum.*

C O N S E C T A R I U M II. Voluntas Dei , ut lex , est regula omnium , quæ agere debemus , aut omittere : ergo est totis viribus scrutanda , ut monet Sapiens his verbis : *Quæ precepit tibi Deus , illa cogita semper , & in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus.* Ecclis. 3. v. 22.

Sic consilienda & inquirenda voluntas Dei , seu lex æterna , ut nos ipsos dirigamus , juxta illud Psal. 24. v. 4. *Vias tuas demonstra mihi , & semitas tuas edoce me , & juxta illud Pauli Act. 9. v. 6. Domine , quid ne vis facere.*

Sic consulenda & inquirenda pariter est voluntas Dei , seu lex æterna , ut alios dirigamus exemplo Salomonis , de quo sic habetur 3. Reg. cap. 3. v. 7. Et nunc Domine Deus , inquit , tu regnare fecisti servum tuum... Ego autem sum puer parvulus , & ignorans egressum & introitum meum... Dabis ergo servo tuo cor docile , ut populum tuum judicare possit , & discernere inter bonum & malum.

Et quia lex æterna manifestatur primò per legem naturalem omnibus insitam ; ideo quænam sint officia , quæ præcipiuntur per legem naturalem , ostendamus.

ARTICULUS II.

Ad quæ officia extendat se Lex naturalis.

PROPOSITIO unica. Ad ea omnia officia se extendit lex naturæ , quæ homo sine lumine fidei , & sui conscius , se debere cognoscit sibi , Deo , & proximo , tum superiori , tum æquali , v. g. Lex naturalis inspirat etiam sine fide , quod homo debeat sibi curam mentis & corporis , Deo reverentiam , superioribus obedientiam , æqualibus amorem , singulis æquitatem & justitiam.

Probatur 1°: Scripturâ. Quando Scriptura loquitur , vel de cura , quam sibi debet homo , vel de reverentia , quæ Deo exhibenda est , vel de officiis proximo rependendis ; sæpius Textus Sacer ad notiones naturaliter cognitas recurrit , v. g. docens quam curam sui ipsius homo habere debeat , ait : Eccles.

T ij

14. v. 5. *Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit.* Loquens verò de reverentia ergo Deum, sic habet Malach. 1. v. 6. *Filius honorat patrem, & servus Dominum suum: si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? & si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Et agens de iunctuis officiis, quæ homines sibi debent impendere, sic omnes alloquitur: *Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Math. 7. v. 12. Quæ omnes rationes naturales sunt, & sine lumine fidei cognitæ: ergo lex naturalis ad prædicta munia se extendit.

2°. Ex D. Thom. I. 2 q. 94. a. 2. ad 3.
Sub lege rationis, id est naturali, continentur omnia ea, quæ ratione. nudè sumpta, regulari possunt: Atqui prædicta munia dirigi possunt per rationem nudè sumptam, ut patet ex scriptis paganorum, qui varia documenta, & quidem utilia circa curam erga nos, circa reverentiam erga Deum, circa justitiam & amorem erga proximum tradiderunt: ergo prædicta officia præcipiuntur per legem naturalem.

3°. Ratione. Lex naturalis est ratio nudè sumpta, inspirans homini, quid agendum, quid non agendum: atqui ratio nudè sumpta inspirat, quod homo debeat sibi curam mentis & corporis; quia est sui ipsius custos: Deo cultum; quia est illius effectus: superioribus obedientiam; quia est illis subditus: æqualibus amorem; quia est illis similis: singulis æquitatem & justitiam; quia nulli nocendum est: ergo lex naturalis præcipit homini omnia prædicta munia, scilicet

cet sibi curam , Deo reverentiam , superioribus obedientiam , æqualibus amorem , singulis æquitatem , & justitiam .

Statuuntur quædam principia naturaliter nota , ex quibus inferuntur magis in particulari , quæ debeant esse officia hominis erga se ipsum , erga Deum , & erga proximum , tum superiorem , tum inferiorem , tum æqualem .

PRINCIPIUM I. Homo quilibet debet justam & rationalem curam gerere , tum sue mentis , tum corporis ; quia est sui ipsius custos : *Ex quo inferitur.*

1º. Ut homo , & conservet , & perficiat se , quatenus est intelligens & volens :

Debet ea addiscere , quæ pertinent ad bonos mores : mens enim non aliter perficitur , & integra perseverat , quam per cognitionem virtutis , quam exerceat , & per cognitionem vitii , quod fugiat .

Debet ea omnia omittere , quæ rationis usum aut tollunt , aut præpediunt . v.g. numquam potest rationem vino sepelire , nimio cibo prægravare , luxuriam hebetare , effrenatis motibus excæcare , demum debet homo ea omnia sibi interdicere , quæ præcipuam sui partem , mentem scilicet , possent labefacere .

2º. Ut homo conservet se , perficiatve quo ad corpus .

Debet ea omnia inquirere , sibique providere , quæ ad vitam sustentandam judicantur secundum rectam rationem necessaria , v. g. victum , & vestitum .

Numquam debet sibi permettere, quæ vel
valetudinem corporis minuant, vel natura-
lem prolis generationem pervertant; quia
custos est sui corporis, non Dominus; mi-
nister prolis generandæ, non inordinatæ vo-
luptatis percipierdæ: atque ideo illicitus est
omnis potus, & cibus quantumvis delec-
tabilis, quibus sanitas alteratur: illicita om-
nis semenis effusio, ex qua humana proles
nasci nullatenus potest.

P R I N C I P I U M II. Homo debet Deo
cognito, etiam præcisè pro ut est autor na-
turæ, assensum, fiduciam, amorem, & re-
verentiam. Assensum; cuia est verax in dictis:
fiduciam; quia est firmus in promissis:
amorem; quia est bonus: reverentiam; quia
est excelsus: *Ex quo infertur.*

1. Ut homo rependar Deo debita.

Debet Deo loquenti credere, promittenti
fidere, beneficentem redamare, & utope
supereminente omnibus supremo honore
venerari.

Numquam debet Deo loquenti discredere,
promittenti diffidere, Deum tam bene-
ficium cd'o habere, aut creaturam magis
quam Deum diligere, demum numquam
debet Deum inhonorare, aut cultum Deo
debitum in creaturam transferre.

P R I N C I P I U M III. Homo debet aliis
hominibus æqualibus amorem, superioribus
filialem obedientiam, inferioribus paternam
providentiam, omnibus æquitatem & justi-
tiam; quia alias stare non potest ea, ad quam
nati omnes sumus, societas: *Ex quo infe-
runtur istæc omnia;*

Homo debet cuilibet homini amorem : oportet ergo , quod prudenter ei procuret bonum , quod poterit , & quoad corpus . & quoad animam : quia amare est velle bonum.

Oportet verò , quod pariter abstineat ab eo omni . quod proximo nocitum videt.

Homo debet superioribus filialēm obedientiam , & inferioribus paternam providentiam , ergo oportet , quod servi erga Dominos , subditi erga Reges filiorum animos habeant : & vice versa , quod Domini erga servos , & Reges erga subditos paterna viscera induant

Oportet verò , quod singuli numquam à mutuis illis officiis deflectant.

Homo debet cunctis hominibus æquitatem & justitiam : ergo oportet , quod vitam , famam , & bona temporalia proximi juxta regulas æquitatis & justitiae tueatur.

Numquam verò aliquid moliatur , quod vel vitæ , vel famæ , vel bonis temporalibus proximi tantisper noceat.

Sic nequit vitam proximi privata autoritate vel verberando alterare , vel mutilando minuere , vel occidendo perdere.

Sic nequit famam proximi minuere , vel temerariè de eo judicando , vel occulta ejus crimina manifestando , vel calumniando , vel falso accusando , vel falsum contra ipsum testificando , aut verum protuenda ipsius innocentia non declarando.

Sic nequit , bona temporalia proximi injuste vel accipere , vel retinere , neque claus-

224 MORALIS CHRISTIANA.
culum furando , neque palam rapiendo . ne-
que inquis contractibus circumveniendo.

Sic demum nihil potest attentare , quod
humanam societatem perturber , vel gravem
efficiat , sive promissa violando , sive men-
tiendo , sive injustis æquivocationibus illu-
dendo , &c.

Hæc est summa legis naturalis , quam
quilibet homo in se ipso advertit ; sed ut
plurimum negligit legem illam consulere :
ideo in suspectias veniunt aliæ leges.

Quia verò lex naturalis per legem civilem
determinatur , ideo sit.

ARTICULUS III.

Ad quæ officia Lex civilis extendatur.

§. I.

*Quas personas , quas res , quas actiones attin-
gat , vel non attingat jurisdicatio civilis ,
& politica.*

PROPOSITIO unica. Lex civilis & po-
litica solum ad ea omnia se extendit ,
quæ ad communitatem civilem hominum ,
vel constituendam , vel jam constitutam con-
servandam , inservire possunt ; minime verò
ad alia , quibus homo virtutibus , vel mo-
ralibus , vel supernaturalibus interius diri-
gitur.

Probatur 1º. Ex D. Thom. 1. 2. q. 100.
a. 2. in C. *Lex humana* , inquit , ordinatur
ad communitatem civilem , *que est hominum*

ad invicem: Ergo lex civilis solum ad ea se extendit directe & per se, quae ad communitatem civilem hominum inter se possunt inservire.

2º. Ratione. Homo potest considerari, ut animal rationale, ut membrum alicujus sectularis Reipublicæ, ut Christianus, & ut hospes futurus cœlestis gloriæ: ut animal rationale dirigitur jure naturali & gentium; ut membrum Reipublicæ jure civili; ut Christianus jure Ecclesiastico; ut hospes cœli futurus, jure divino: ergo jus civile ad ea omnia se extendit, quae ad Rempublicam, vel constituendam, vel constitutum conservandam inservire possunt.

Consecratio hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Lex civilis se extendit ad eas omnes personas, ad eas omnes res, ad eas omnes actiones, quæ concurrent ad communitatem civilem, quæ est hominum ad invicem: & ita extendit se. Primum ad personas, quæ constituunt familias; ad familias, quæ constituunt civitates; ad civitates, quæ constituunt provincias; ad provincias, quæ constituunt vel imperia, vel regna, vel Respublicas. Secundum se extendit ad res illas, sive mobiles, sive immobiles, quæ sunt in hominum commercio. Tertius se extendit ad eas omnes actiones, quæ mutuum cum hominibus commercium fovere possunt; quia istæc omnia ad communitatem civilem hominum inter se concurrent.

Quæ sit divisio personarum , rerum , & actionum , dicemus in Tomo quarto , ubi de Justitia & Jure.

C O N S E C T A R I U M II. Lex civilis non se extendit ad actus interiores virtutis moralis , quos lex naturalis inspirat , nec ad actus supernaturales , quos lex divina imperat ; sed ad exteriores actus ad publicam pacem requisitos : quia pax , quam homo habet cum conscientia propriâ per virtutes morales , vel quam habet cum Deo per virtutes supernaturales , non est finis legis civilis ; sed solum ea pax , quam homines habent inter se , de quo ita D. Thom. l. 2. q. 98. a 1. in C. Est autem , inquit , sciendum , quod alius est finis legis humanae ; alius est finis legis divinae ; legis enim humanae finis est temporalis tranquillitas civitatis , ad quem finem pervenit lex , cohibendo exteriores actus , quantum ad illa mala , quæ possunt perturbare pacificum statum civitatis.

C O N S E C T A R I U M III Eadem personæ , eadem res , eadem actiones , quæ pertinent ad jus civile , quatenus concurrunt ad communitatem civilem , vel constituant ad constitutam conservandam , possunt ex aliquo superaddito pertinere ad legem aliquam superiorem , v. g. ad jus Ecclesiasticum , sicuti enim , quod est juris naturæ , v. g. pactum ex addita solemnitate , quam præcipit jus civile , sit juris civilis : ita quod est præcisè juris civilis , ex addita aliqua circumstantia pertinente ad jus Ecclesiasticum , sit juris Ecclesiastici.

Sic homo quilibet , quatenus ad civilem

societatem natus , pertinet ad jus civile , quatenus baptisatus , quatenus Clericus , quatenus Monachus , pertinet ad jus Ecclesiasticum.

Sic fundus ad Ecclesiam pertinens , quatenus est in commercio hominum , pertinet ad jus civile ; quatenus consecratus divinis officiis , vel destinatus ad nutriendas personas Deo sacras , pertinet ad jus Ecclesiasticum.

Sic matrimonium , ut notat D. Thom. in 4. dist. 34 q. 1. a. 1. ad 4. In quantum est in officium nature , statuitur jure naturæ ; in quantum est in officium communitatis , statuitur jure civili ; in quantum est Sacramentum , statuitur jure divino : *Et ideo , sicut ex qualibet dictarum legum , naturalis , humanae , & divinae , potest persona effici ad matrimonium illegitima : Ita persona , res , & actio eadem ex diversa consideratione poterit ad diversas leges pertinere.*

§. II.

An principibus secularibus competit jus aliquod , ad leges suo arbitratu condendas in his , quæ fidem aut disciplinam Ecclesiasticam respiciunt.

PROPOSITIO unica. Post constitutam à Christo Regalis & Pontificalis potestatis divisionem , Reges ex vi secularis autoritatis nullam habent potestatem condendi leges circa spiritualia ad religionem pertinentia , nullamque jurisdictionem , nisi ad supprias ferendas Ecclesiæ.

Probatur 1º. Scripturā. Ad Apostolos, eorumque successores, & non ad principes seculares dictum est: *Qui vos audit, me audit.* Luc. 10. v. 16. Item non Reges, sed Apostoli dicunt: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis, &c.* Act. 15. v. 28. Ergo non Reges, sed Episcopi potestatem habent condendi leges circa spiritualia ad religionem pertinentia.

2º Ex Ambrosio Epis. 35. lib. 5. Ubi refert rescriptum Valentiniani: *In causa fidei, inquit, vel Ecclesiastici alicujus ordinis, eum judicare debere, qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis.* Hæc enim verba rescripti sunt, hoc est, Sacerdotes de Sacerdotibus voluit judicare. Et mox sic audacter pronuntiat: *Quis est, qui abnuat in causa fidei, in causa fidei, in causa, inquam, fidei Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, & non Imperatores de Episcopis judicare. . . . Si conferendum de fide, Sacerdotum debet esse ista collatio.*

3º. Ex confessione principum, qui passim fatentur, non ad se, sed ad Episcopos, pertinere de rebus ad religionem pertinentibus leges & judicium ferre. Sic enim habet Constantinus magnus Donatistis potentibus, ut de Cæciliiano judicium ferret, teste Optato lib. 1. *Judicium à me petitis in saeculo, cum ego ipse Christum judicem expecto.* Et Augustino teste Epis. 68. Idem Imperator hac responsione eosdem Donatistas repulit. Dico, ut se veritas habet. *Sacerdotum judicium ita debet haberi, ac si Dominus ipse residens, per Episcopos judicet.* Valentinianus vero senior interpellatus ab Hypatiano Episcoporum orientalium legato pro resarcienda fide, quam constantius

constantius pessimum dederat , respondit teste Sozomeno lib. 6. Sibi , qui unus è laicorum numero erat , non licere se ejusmodi negotiis interponere. Theodosius verò junior Candidianum comitem Synodo Ephesiao intereste jussit Ea lege & conditione , ut cum quæstionibus & controversiis , quæ circa fidei dogmata incident , nihil quid quam commune habeat. Nefas enim est , inquit , eum , qui sanctissimum Episcoporum catalogo adscriptus non est . Ecclesiasticis negotiis & consultationibus sese immiscere Constantinus verò teste Ruffino lib. 1. hist. Sic allocutus est patres Nicœnos : Deus vos constituit Sacerdotes , & nobis à Deo datus estis judices ; & conveniens non est , ut homo judicet Deos ; sed ille solum , de quo scriptum est , Deus stetit in Synagoga Deorum , in medio autem Deos dijudicans : Et Basilius imp. allocutione ad octavam Synodum Act. 10. Laico cuicunque , inquit , nulla ratione de Ecclesiasticis causis disputare fas est. Demum eum in Concilio Calcedonensi Act. 4. istud pronuntiatum esset : Contra regulas pragmaticum nihil valebit , regulæ patrum teneant ; Marciianus Imperator ann. 454. illud edicto suo confirmavit , ut habetur L. privilegia C. de Sacros. Eccles. cuius hæc sunt verba : Omnes Pragmatias Sanctiones , quæ contra Canones Ecclesiasticos interventu graiae & ambitionis elicite sunt , robore suo & firmitate vacuatas cessare præcipimus : Ergo constat ex confessione principum , quod lex civilis , jurisdictio politica ad spiritualia extendenda , non sit , nisi ad supprias Ecclesiæ ferendas , ut infra explicabimus.

4°. Ratione. Lex naturalis eo tendit, ut homo pacem cum semetipso; lex divina, ut homo habeat pacem cum Deo; lex civilis, ut habeat pacem cum cæteris hominibus: ergo lex civilis ea solùm potest attingere, quæ publicam pacem fovere inter homines possunt; relinquitur verò legi naturali, vel Ecclesiasticæ, vel divinæ, quod hominem cum semetipso, vel cum Deo concordem efficere potest. Adde quod potestas Regum est sacerdotalis, & non spiritualis: ergo sacerdotalia & non spiritualia debet attingere. Et ut scribit Felix summus Pontifex ad 3. Zenonem: *Certum est*, inquit, *hoc rebus vestris esse salutare*, ut cum de causis Dei agitur, *juxta ipsius constitutum*, regiam voluntatem Sacerdotibus Christi studiatis subdere, non preferre & Sacro-Sancta per eorum Praesules discere potius quam docere; Ecclesiæ formam sequi, non huic humanitus sequenda præfigere, neque ejus sanctionibus velle dominari.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Principes sacerdotes non habent potestatem, neque circa verbum divinum prædicandum, neque circa Sacramenta ministranda; quia oves sunt, & non pastores, ut fatetur Basilius Imperator in Concil. Gener. 8. Act. 10. *Quantæcumque enim*, inquit, *Religionis & sapientiae Laicus existat*, vel etiam si universa interius virtute polleat, donec Laicus est, ovis vocari non desinet.

CONSECTARIUM II. Principes sacer-

lares non habent potestatem neque in Conciliis, neque extra Concilia determinandi quæstiones ad religionem pertinentes; quia discipuli sunt, & non magistri, de quo ita idem Basilius ibidem: *De vobis*, inquit, *Iaicis*, tam qui in dignitatibus, quam qui absolute conversamini, quid amplius dicam non habeo, quam quod nullo modo nobis licet de Ecclesiasticis causis sermonem movere, neque penitus resistere integritati Ecclesiæ, & universali Synodo adversari. Hæc enim investigare, & querere Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt; qui sanctificandi, qui solvendi, & ligandi potestatem habent; qui Ecclesiasticas & celestes adepti sunt claves: non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificati, qui ligari, vel à ligamento solvi egemus.

C O N S E C T A R I U M III. Principes sacerdcales non habent potestatem, neque per seipso exercendi sacra, neque per se ipsos consecrandi ministros, qui sacra exerceant; quocirca piissimus Sacerdos 2. Paralyp. sic Oziam sacra affectantem deterret: *Non est*, inquit, *officii tui Ozia*, *ut adoleas incensum* *ceram Domino*, *sed Sacerdotum*, *hoc est filiorum Aaron*, *qui consecrati sunt ad hujusmodi* *ministerium*.

C O N S E C T A R I U M IV. Principes sacerdcales non habent potestatem judicandi Sacerdotes, Episcopes, &c. cum agitur de degradatione, suspensione, interdicto, excommunicatione, aliisque poenis spiritualibus, quibus Ecclesia rebelles & contumaces filios punire solet; quia circa id non judicare de-

bent, sed judicari; de quo ita scribit Honorius Imperator ad Arcadium fratrem in causa Chrysost. *Si quid*, inquit, *de causa religionis inter Antistites ageretur*, Episcopale oportuerit esse judicium: ad illos enim divinorum rerum *interpretatio*, ad nos religionis spectat obsequium. De penitentia vero infligendis personis Ecclesiasticis ob crimina pacem publicam perturbantia agemus infra.

§. III.

An defensio Ecclesiae, ejusque decretorum principibus secularibus competit.

PROPOSITIO unica. Principes secularares possunt, immo debent, leges condere circa & personas & res sacras, modo id faciant in suppeditias Ecclesiae, non ut Doctores fidei; sed ut defensores, non ut conditores Canonum, sed ut vindices.

Probatur 1°. Scripturā Paulus 1. ad Tim. 2. sic habet: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrations, orationes, postulationes, & gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, ut tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate:* Ergo pertinet ad Reges, ut curent populos tranquillos vivere in pietate & castitate: ergo ad eos spectat leges condere, quibus & personæ, & res sacræ, & fides, & mores, disciplinave in tuto sint posita.

2°. Ex Aug. Qui ita loquitur contra Cresconium lib. 3. cap. 51. In hoc; inquit, Re-

ges, sicut eis divinitus præcipitur. Deo serviant, in quantum Reges sunt, si in regno suo bona jubeant, mala prohibeant, non solum quæ pertineant ad humanam societatem, verum etiam quæ pertinent ad divinam Religionem. Et Leo Epis. 81. scribit ad Leonem Imperatorem his verbis: *Debes incunctanter advertere, Regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed etiam maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, ut abusus nefarios comprimendo, & quæ bene sunt statuta defendas, & veram pacem iis, quæ sunt turbata restituas: Ergo ad Reges pertinet leges condere in defensionem Ecclesiæ.*

3°. Ex titulis, qui Imperatoribus tribuntur. Constantinus vocatur ab Eusebio, *communis Episcopus*, id est, invigilans bono totius Ecclesiæ. Marcianus vocatur à Concilio Calcedonensi; *Imperator & Sacerdos*. Clodovæus à Remigio dicitur non solum *Prædicator fidei*, sed *defensor*. Sed instar omnium sit iste titulus, quem sibi gloriosum putat Ludovicus VII. Galliæ Rex, sic enim fatur: *Ludovicus Dei gratia Francorum Rex, omnibus in perpetuum digna vox est maiestate regnantis, Dei servum & Ecclesiæ defensoren se principem profiteri*. Ita Baluzius in additionibus D. de Marca L. 2. cap. 13 Ergo Regum est leges pro defensione Ecclesiæ statuere.

4°. Ratione. Tanta est inter Regalem & Ecclesiasticam dignitatem connexio, ut vix una sine altera possit consistere: Ecclesia enim inspirat populis amorem erga Reges & Reges Ecclesiastica statuta populis tremenda.

éfficiunt. Quod mutuum utriusque autoritatis commercium sic eleganter describit Anselmus Lexoviensis Episcopus : *Dignitas*, inquit, *Ecclesiastica Regiam provehit potius, quam adimit dignitatem; & Regalis dignitas Ecclesiasticam conservare potius consuevit, quam tollere libertatem: Etenim quasi quibusdam invicem sibi complexibus dignitas Ecclesiastica & Regalis occurruunt; cum nec Reges salutem sine Ecclesia, nec Ecclesia pacem sine protectione Regia conseqnatur: Ergo Regum est leges condere quibus Ecclesiam tueantur; & ut ait Greg. VII. Epis 19. lib 1. *Sicut duobus oculis humanum corpus temporalis lumine regitur, ita bis duabus dignitatibus in pura Religione concordantibus, corpus Ecclesie spirituali lumine regi & illuminari probatur.**

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Principes possunt & debent, non quidem verbo insistere, sed concionatoribus verbi divini suppeditas ferre, eosque regia protectione defendere.

Sic Josaphat 2. Paral. 17. v. 9 mittit Doctores legis, qui populum doceant: *Docebantque populum, inquit, Textus Sacer, habentes librum legis Domini, & circuibant omnes cunctas urbes Iudee, atque erudiebant populum. Itaque factus est pavor Domini super omnia regna terrarum... Nec audiebant bellare contra Josaphat. Ut enim moneret Cœlestinus Papa Theodosium Imperatorem: Major debet esse sollicitudo fidei, quam regni; & amplius pro pace Ecclesiæ decet esse sollicitum,*

quam pro securitate terrarum ; subsequentur enim omnia prospera , si penitus , quæ Deo sunt , chariora serventur.

CONSECTARIUM II. Principes possunt & debent insistere Conciliis , quando sunt necessaria , convocandis ; opem ferre eisdem Conciliis dum actu habentur , reprehendendo contumaces hereticos ; ubi vero finita sunt Concilia executionem eorum sedulò procurare , infligendo penas temporales his omnibus , qui ausū temerario contradicere tentaverint.

Sic Constantinus Nicenam Synodum convocandam curavit , convocatam adjuvit & pertinaces Arianos decretis Synodi resistentes , variis pœnis mulctavit Socrat. lib. I. cap. 6.

Sic Marcianus triplici edicto Synodum Calcedonensem confirmat , & pœnas in Clericos & Laicos contumaces infligit , ita edictum Marc. Act. 4. & ut notat Hermianus lib. 12. cap. 3. Ecclesiasticorum Canonum voluit esse executor , non conditor , non exactor.

Sic Justinianus sententiam adversus Anthimum latam Imperialem effecit : Imperialibus legibus corroboravit , perinde ac si ab imperio ipso provenisset.

CONSECTARIUM III. Principes sæculares possunt leges speciales ferre circa eas omnes materias , circa quas Ecclesia suas statuit regulas , v. g. circa fidem . circa mores , circa disciplinam : quæ leges sint quasi accessoriæ ad leges Ecclesiasticas jam statutas , & media , quibus efficacius executioni mandentur , quæ leges non condant Cano-

nes, sed conditores soveant, conservent, & custodiendos jubeant.

Sic tot Leges Imperiales in corpore juris sparsæ circa res mere Ecclesiasticas, non sunt signum autoritatis, quam Reges habeant circa sacra, sed signum zeli & amoris, quem habuerunt erga Ecclesiam; ut enim premonet Justinianus: *Nos tutores sumus*, inquit, *vetustatis & vindices Jussio Just. pro Concil. Bizac.*

Sic tot capitularia Regum Galliæ, cùm ex Episcoporum, tum ex optimatum regni consilio, lata circa res omnino ad Ecclesiam pertinentes, non sunt argumenta Regiæ autoritatis in rebus fidei aut disciplinæ Ecclesiasticæ; sed solum indicia, quibus Reges nostri se protectores Ecclesiæ profitebantur; unde effectum est, ut Leo IV. Papa C. de capitulis, dist. 10. apud Gratianum spondeat se: *capitula illa & præcepta Lotharii, ejusque prædecessorum in omnibus observaturum, & Synodus Meldensis ann. 845. cap. 78, postulet: Ut capitula Ecclesiastica à Domino Carolo Magno Imperatore, nec non à Domino Ludovico pio Augusto promulgata, obnoxie observari præcipiantur; sicut & legatia observanda esse noscuntur.*

Sic demum tot edicta Regum nostrorum, sive Aurelianensia, sive Blesensia; illa pariter edicta, quæ Ludovicus XIV edidit contra Jansenistas, Quietistas, &c. Licet in rebus ad Religionem pertinentibus, autoritatem Ecclesiasticam non offendunt, sed deffendunt; non minuunt, sed augent, viris probis reddunt venerandam; improbis vero terribilem exhibent.

CONSECARIUM IV. Principes sacerdotes ut tutores Ecclesiae possunt & debent personis sacris injuste vexatis fuppetias ferre, Canonum violationi, & bonorum Ecclesiasticorum direptioni fortiter se oppondere.

Ex eo quod Imperatores sint personarum Ecclesiasticarum defensores factum vidimus, quod Paulus injuste vexatus a Judæis Cæsarem appellaverit, quod Athanasius injuste condemnatus in Tyrio conciliabulo Constantium Augustum provocaverit, Ath. Apol. 2. Quod Eusebius Dorilæi Episcopus exagitatus a Diocoro; & Eunomius Episcopus Nicomedie male habitus ab Anatolio Neocesariensi Marciamum Imperatorem adierint; ut ab eo jus exposcerent Concil. Calch. Act. I. & II. Et alii multi Episcopi ad Principes sacerdotes recurerunt: quibus in casibus solebant Principes, vel Clericos judices nominare, ut fecit Constantinus in causa Donatistarum, vel prioris Concilii judicatum suspendere nova Synodo indicta, ut fecit Theodosius in causâ Nestorii: Immò si Episcopi durius agerent cum Clericis, isti aliquando ad Principes recurrebant auxilium postulantes ut habet Concil. Francof. cap. 6. ann. 794. Ubi jubetur, ut si Clerici male habeantur ab Episcopis, ad Metropolitanum provocent, & si Metropolitanus Rem non possit corrigere, vel pacificare: iunc tandem veniant accusatores cum accusato, ad dominum Regem, ut sciatur veritatem rei.

Ex eo quod Principes sint tutores Canonum, & bonorum Ecclesiasticorum vidimus

leges edidisse, quibus violatio canonum, & direptio bonorum Ecclesiasticorum districtius inhibetur, sic Codex Theod. L. omni 45. ita loquitur: *Omni innovatione cessa-
te vetustatem & Canones pristinos Ecclesiasti-
cos... servari præcipimus.*

ARTICULUS IV.

*Ad quæ extendatur, vel non extendatur Lex
& potestas Ecclesiastica.*

§. I.

De potestate spirituali Ecclesiastica.

PROPOSITIO unica. Ecclesia jure di-
vino habet potestatem spiritualem, per
quam fidelibus potest præcipere, quidquid
ad eorum salutem conducere potest.

Probatur 1º. Scripturâ. *Omnis potestas mihi data est in cœlo & in terra*, inquit Christus Math. 28. v. 18. Ergo si Christus habeat potestatem spiritualem supra fideles; cum eo tantum fine venerit, ut eos salvos faceret; Ecclesiæ Pastores eam pariter habent potestatem; quia ita eos alloquitur Christus: *Sicut misit me pater, & ego mitto vos*. Joan 20. v. 21 & rursus: *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit spernit eum, qui me misit*. Luc 10. v. 16. Ergo Ecclesia habet potestatem spiritualem supra fideles.

2º. Ex Osio Cordub. in Epis. ad Constan-

& Athan quā eādem autoritate utitur Athan. in Apolog. ad Constant. ubi sic habet: *Tibi Deus imperium commisit; nobis, quae sunt Ecclesiae, concredidit, & Gelasius I. ad Anastasiū Imperatorem: Duo quippe sunt, Imperator Auguste, inquit, quibus mundus hic regitur, autoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas: Ergo sicut Imperialis potestas ad temporalia se extendit, Ecclesiastica autoritas ad spiritualia debet se extendere.*

3^a. Ratione. Omnis respublica habet potestatem supra suos subditos, & talem quidem, qualis est Respublica: alias, ut optimè ait Aug. Sine tali potestate regna non essent regna, sed latrocinia; nec essent multitudo bene ordinata, sed congeries confusa: atque Ecclesia est Respublica spiritualis à Christo fundata: ergo debet habere potestatem spiritualem supra suos subditos, scilicet baptisatos circa ea, quae baptisatos ad salutem æternam conducere possunt, & si Ecclesia sit sponsa, cuius Christus est sponsus; Regnum, cuius Christus est Rex; corpus, cuius Christus est caput, nullam ne habebit potestatem circa fideles, qui sunt & filii, & membra, & subditi per baptismum.

Consecratio hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Ecclesia habet potestatem in verbo & in Sacramentis, id est, habet potestatem docendi, quae à Christo didicit, & ministrandi Sacraenta, quae à Christo accepit. Hanc potestatem contulit Christus Ecclesiae his verbis: *Euntes, docete*

omnes gentes , baptisantes eos in nomine Patris , & Filii , & Spiritus Sancti. Math. 28. v. 19. Eā potestate usi sunt Apostoli , & Episcopi , eorumque successores , quā : In omnem terram exivit Iesus eorum ; Et quā mundus ex pagano factus est Christianus.

CONSECARIUM II. Ecclesia habet potestatem circa quæstiones fidei , & morum , & disciplinæ ; seu habet potestatem determinandi , quæ pertinent ad fidem , ad mores , & ad disciplinam ; & fideles tenentur decisionibus ab Ecclesia statutis acquiescere : *Si quis enim Ecclesiam non audierit , habendus est , ut Ethnicus & publicanus.*

Exercitium hujus autoritatis expressè describitur Act. cap 15. Ubi habes formam Concilii ; qui scilicet debeant Concilio interest ; quo modo debeant Concilia procedere ; quā auroritate definire ; de quā materia tractare ; & quam obedientiam Conciliis debeant populi exhibere . Non Laici sed Apostoli , & seniores conveniunt : Surrexerunt , inquit Lucas , quidam de heresi Pharisæorum , qui crediderunt , dicentes : quia operet circumcidere eos , præcipere quoque servare legem Moysi , conveneruntque APOSTOLI ET SENIORES videre de verbo hoc. Proceduntque , non tumultuosè , sed maximè cum prudentiâ & diligentia : Cum autem conquisitio fieret , ait Lucas quæstione mature per pensa difficultatem resolvunt , non proprio lumine , sed divino , non autoritate propriâ , sed Dei : VISUM EST , inquit , SPIRITU SANCTO ET NOBIS. Materiam tractant , non sæculari , sed Ecclesiasticam , scilicet ,

scilicet, questiones pertinentes ad fidem; ad mores, ad disciplinam. Ad fidem quidem, dum statuunt infallibilitatem Ecclesie. Ad mores, dum res ex se malas interdictant, fornicationem, scilicet, & idolatriam. Ad disciplinam, dum, ut Synagogana quodam cum honore sepeliant, à sanguine & suffocato, licet res essent indifferentes, volunt fideles abstinere: quam determinacionem paucissimis his verbis comprehendunt in Epist. Synodica: *Visum est, inquit, Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam haec necessaria; ut abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione; à quibus custodientes vos, bene agetis, valete...* Illi ergo id est Paulus & Barnabas: *Congregata multitudine tradiderunt epistolam, quam eam legissent, non restiterunt, sed gavisi sunt super consolatione. Et Paulus perambulabat Syriam;* & Ciliciam, confirmans Ecclesias: præcipiens custodire præcepta Apostolorum & seniorum. Ex obedientia fidelium erga Ecclesiam, quoties determinat aliquid circa fidem, mores, & disciplinam,

C O N S E C T A R I U M III. Ecclesia habet potestatem constituendi Prælatos, & ministros, ad ædificationem corporis Christi, scilicet Ecclesie, necessarios, ut docet Paulus ad Ephes. 4. v. 11. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi:* Ea potestate uia est Ecclesia, & sic

interrupta permanit successio Pastorum ab Apostolis usque ad nos.

C O N S E C T A R I U M IV. Ecclesia habet potestatem judicandi quoscumque baptisatos circa participationem Sacramentorum, excludendo indignos, & admittendo dignos, quæ potestas non obscurè significatur his verbis : *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis.* Math. 16. v. 19.

Eà potestate utuntur ministri Ecclesie, quoties fideles, vel arcent à Sacrementis, vel eos ad Sacraenta admittunt.

C O N S E C T A R I U M V. Ecclesia habet potestatem judicandi in foro secreto & interiori de peccatis tam occultis quam publicis, vel remittendo per absolutionem, vel retinendo per dilationem absolutionis, juxta dispositiones confitentium, quas Christus & Ecclesia prescribunt, quæ potestas satis aperte his verbis declaratur : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; quorum retinueritis, retenentur.* Joan. 20. v. 23.

Eà potestate utuntur confessarii in tribunali pœnitentiæ.

C O N S E C T A R I U M VI. Ecclesia habet potestatem judicandi in foro publico & contentiouso de peccatis publicis, infligendo pœnas spirituales, scilicet excommunicaciones Laicis contumacibus, excommunicaciones & suspensiones & irregularitates Clericis pariter contumacibus, quæ potestas videtur exprimi his verbis : *Dic Ecclesie, si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Math. 18. v. 17.

Eâ auctoritate usus est Paulus contra Corinthium incestuosum: *Judicavi*, inquit Script. 1. ad Corint. 5. v. 5. tradere hujusmodi iu inieritum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.

Eâdem potestate utuntur Episcopi, infligendi censuras.

C O N S E C T A R I U M VII. Ecclesia habet potestatem judicandi circa materiam putè spiritualem, utpote & sponsa & corpus & regnum Christi, qui auctoritatem exercere voluit, non temporalem sed spiritualem, dicens: *Regnum meum non est ab hoc mundo* Joan. 18. v. 36

Eâ potestate utitur Ecclesia, dum judicat de validitate & invaliditate Sacramentorum; de decentia vel indecentia officii Ecclesiastici.

Eâdem potestate utuntur judices Ecclesiastici, v. g. *Officialis*, dum in suo territorio, etiam contentiosè judicant de eadem materia & pœnis quibusdam ab Ecclesia determinatis addicunt fideles qui non recipiunt Sacraenta temporibus ab Ecclesia determinatis, v. g. non communicant in paschate, non confitentur semel in anno: & eos fideles, qui non observant constitutiones merè spirituales ab Ecclesia editas, v. g. non observant festa, non obseruant jejunia. Item Clericos tam regulares quam sœculares, in contentioso foro judicant, si in verbo prædicando, in sacramentis ministrandis non sequantur statuta Ecclesie.

C O N S E C T A R I U M VIII. Ecclesia habet potestatem judicandi circa materiam partim spiritualem, partim temporalem attingendo

præcisè quod est spirituale, Christus enim spiritualem jurisdictionem exercuit, sed circa res temporales judicium ferre recusavit, dum enim ei quis diceret: *Dic fratri meo, ut diridat mecum hereditatem*; at ille dixit: *homo, quis me constituit judicem, aut divisorem super vos*. *Luc 12. v. 13.*

Eâ potestate utuntur Ecclesiæ judices, v. g. Officiales, dum in foro etiam contentioso judicant de validitate sponsalium, de validitate matrimonii, aut declarant, quando despousati possint dissolvere sponsalia; quando conjugati debeant cohabitare, vel ab invicem separari, modò sistant intra limites spiritualitatis, nam si attingant temporale, in Gallia esset *abusus*, ut dicunt, id est, abusus potestatis spiritualis, quæ ad solum spirituale & non tempore debet extendi.

Sic Ecclesia posset judicare de decimis, de beneficiis Ecclesiasticis, sed propter connectionem quam hæc res habent cum temporali, lites circa beneficia, circa decimas agitantur in foro civili, & non Ecclesiastico in Gallia.

§. II.

De modo secundum quem in Ecclesiâ Gallicana exercetur potestas spiritualis Ecclesiastica.

Nota quod auctoritas Ecclesiæ circa fidem, mores & disciplinam est indubitate apud omnes Catholicos; sed qualis debeatur illius potestatis usus, quæ applicatio,

quodve ejus exercitium non apud omnes
convenit; alii volunt eam per Papam ut po-
te supremum Pastorem Monarchico regimine
exercendam esse; alii vero per Papam & per
Episcopos Monarchico quidem regimine sed
aristocratiā temperato exercendam esse con-
tendunt; ita tamen ut Episcopi omnes Ro-
mano Pontifici, tamquam capiti jure divino
subjiciantur ut fatetur D. de Marca Präfat.
z. num. 7.

Qualis sit circa id præsens Ecclesiæ Gal-
licanæ praxis sequenti Paragrapho ostendam,
totumque illud ex probatis auctori-
bus, edoco; temperans ab odiosis quæstio-
nibus, sistens intra eos limites, qui ad resol-
vendos casus conscientiæ inservire possunt.

P R O P O S I T I O unica. Potestas Eccle-
siastica spiritualis talis est juxta Gallos Doc-
tores & præcipue Sorbonicos, ut in sui
exercitio debeat juxta statuta patrum, &
antiquos canones exerceri.

Probatur 1°. Scripturâ. *Reges gentium,*
inquit Christus, dominantur eorum, scilicet
despotice, *vos autem non sic;* Sed mo-
deratè secundum regulas per traditionem ab
Apostolis acceptas, vel in Conciliis statutas.

2°. Auctoritate patrum 1°. Offert se In-
nocentius I. qui Chrysostomi condemnatio-
nem in Synodo ad Quercum latam, vel
Obio solum rejecit, quod non esset juxta
canones: *Nam longè præstiterit, inquit, vel*
ea condemnare, fratres carissimi, quæ recte
facta sunt quam ea robur ullum sortiri, quæ
adversus canones gesta sunt. Ita apud Sozoni-
lib. 8. cap. 16. Innocentium sequitur Zo-

zimus epist. 7. *Apud nos enim, inquit, inconvulsi radicibus vivit antiquitas, cui statuta paucum sanxere reverentiam.* Zozimo consentit Bonifacius Epis. 3. ad Hilarium Narbo. Epis. *Convenit nos, inquit, paternarum sanctorum diligentes esse custodes,* & Leo Epis. ad Anatolium loquens de Canonibus Nicomis sic pronuntiat: *Omnipenitus, inquit, auctoritate sit vacuum, quidquid ab illorum suis constitutione diversum:* Ergo constat ex Patribus, qui Romanam rexerunt Ecclesiam, auctoritatem Ecclesiasticam, iusta Canones esse exercendam.

1°. Ratione. Regimen bene ordinatum debet esse temperatum per leges in comitiis generalibus institutas, quia regimen monarchicum temperatum per Aristocratiam, id est per consilium majorum est perfectissimum; habet enim dotes Monarchiae & Aristocratiae: atqui Ecclesiæ regimen est perfectissimum, utpote à Christo Domino institutum, ergo Ecclesiæ regimen debet esse temperatum per leges, vel à traditione Apostolorum acceptas, vel in Conciliis, constitutas; & proinde potestas spiritualis Ecclesiastica talis est, ut debeat juxta Canones exercere.

Ex hoc principio educuntur consecrarii quibus explicatur, quomodo in Gallia exerceatur potestas spiritualis Ecclesiastica, vide D. de Fleury in suis institutionibus canonicis 3. P. cap. 25. vid. Dom. de Mar. de Concord.

CONSECRARIUM I, Agnoscunt Gallo

Romanum Pontificem jure divino esse universalis Ecclesie caput, & proinde Gallicanæ, quæ illius est membrum. Caput etiam omnium Domini Sacerdotum. Potissimum Sacerdotem ceteris Pontificibus in orbe constitutis reverentiorem Christi Vicarium, Petri successorem, &c. quas dotes multis argumentis probat D. de Marca Tomo primo Concor. lib 7. Sed his potissimum primò affert Cyp. Epis 2. vel 55. edit. Pamel. ubi dicit: *Ecclesiam Romanam, Petri esse Cathedram principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est.* 2^o. Affert Optatum Milev lib. 2. Cont. Parm. ubi ait Romanam Ecclesiam eam esse: *In quâ unâ Cathedrae unitas ab omnibus servaritur... Ut jam Schismatis & peccator effet, qui contra singulorum Cathedram alteram collocaret, & ideo ut ait Herony. Epis. ad Damas. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est, si quis in Arca Noë non fuerit. peribit regnante diluvio.* Adeoque ut optimè ait Natalis Alexander in Histor. Eccles. sœcul. XIII. & XIV. dissert. IX. DE NECESSITATE SALUTIS EXISTIT, OMNES CHRISTI FIDEI ES ROMANO PONTIFICI SUBESSE, PRO UT DIVINÆ SCRIPTURÆ ET SANCTORUM PATRUM TESTIMONIO EDOCEMUR.

Sed non admittunt Galli Doctores, quod Papa dominium habeat directum, vel indirectum in Regum temporalia; sed juxta eundem Alexandrum alterum est dogma, & Scripturæ Sacrae, & traditioni omnia in consonum, fideique proximum, & apud Gallos

indubitatum, scilicet, SUPREMA EST ET A SOLO DEO DEPENDENS REGUM AUCTORITAS, ITA UT NULLAM PENITUS ETIAM INDIRECTAM IN EORUM TEMPORALIA POTESTATEM HABEANT ROMANUS PONTIFEX, VEL ECCLESIA, de hoc infra in sequenti Paragrapho.

CONSECTARTUM II. Admittunt Galli, quod Papa habeat auctoritatem condendi leges. Et hoc multiplici titulo; quia est totius Ecclesiæ caput & specialis Ecclesiæ occidentalis Patriarcha; ita D. de Marca, in cuius rei probationem affert rescriptum Valentiniani, cuius hæc sunt verba: *Omnibus que pro lege fit quidquid sanxit, vel sanxerit Apostolicae sedis auctoritas,* & affert etiam hæc à Greg VII. dictata in digesto: *Illi soli, id est Romanæ sedi, licet, pro temporis necessitate novas leges condere;* Quibus legibus Galli acquiescendum credunt; ut enim ait Irenæus Ludunensis Epis. *Ad Romanam Ecclesiam propter potentiores principaliatatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam.* lib 3. cap. 1. Eamque obedientiam præcipiat Concil. Tutor. 11. Can. 2. His verbis: *Quis Sacerdotum contra decreta talia, quæ à sede Apostolica processerunt agere præsumat:* Ideinque jubeant regum capitularia adeo ut Synodus Galliarum à Pepino & Carolo Magno Coada ab 743. Galli professi sint: *Unitatem & subjectionem Romanæ Ecclesiæ, fine tenuis vita velle servare;* *Sancto Petro, & ejus Vicario, velle subjici,* ut dicit Bonifacius Mogunt Epis. 105.

Sed non admittunt Galli quod vigorem strictæ legis habeat quidquid in omni curiæ Romanæ Tribunal geritur aut resolvitur: si antiquo Ecclesiæ usui sit contrarium; quemadmodum enim Græci non Schismatici, sed post unionem Florentinam Romano Pontifici subjecti, primatum Ecclesiæ Romanæ ejusque decreta suscipiunt: *Salvis privilegiis & juribus Patriarcharum*, ita Galli supremam Papæ auctoritatem agnoscunt & colunt: *Salvis juribus & libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ*. Quæ libertates ad duo capita reducuntur. Primum scilicet est Papa non habet dominium supra temporale regum. Secundum, Papæ tradita est à Christo plena potestas exercenda quemadmodum, & in gestis ecumenicorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur, unde fit.

CONSECTARIUM III. Admittunt Galli omnes Canones Conciliorum generalium; immò particularium, quæ universali Ecclesiæ consensu admittuntur, sive Canones illi fidem vel sanctos mores respiciant: quia una & eadem & invariabilis est doctrinæ totius Ecclesiæ, circa fidem; & sanctos mores.

Sed non admittunt Galli omnes Canones Conciliorum circa disciplinam; quia non una, nec eadem nec invariabilis est disciplina Ecclesiæ: disciplinam enim Ecclesiasticam vocamus in republica Christiana quod in republica sæculi vocatur politica; est autem politica principatus & consuetudo, secundum quam decet unumque civium conversari: patet autem, quod non sit eadem in unâquaque Ecclesiæ consuetudo; alii

enim sunt ritus Ecclesiae Latinae , alii Ecclesiae Græcæ , & quemadmodum quilibet Ecclesia suos ritus sequitur , ita Ecclesia Gallicana suam æmulatur disciplinam , itaque.

Galli recipiunt antiquos circa disciplinam Canones . Quales sunt in antiqua collectio ne Dionysii exigui , Hincmari , & in Biblioteca Justelli , quia antiquam continent disciplinam .

Venerant^{ur} Galli , sed non recipiunt saltem ut legem recentiores circa meram disciplinam Canones , quales sunt in collectione decreti Gratiani , in decretalibus , in sexto , in Clementinis , in Extravagantibus . Nisi concordent antiquo Gallorum usui : quia , inquit , Gratianus multis scatet mendis , & ea quæ affert vim legis non habent ab auctore collectionis , sed solum^{ex} instrumentis quæ citat : constitutiones verò quæ sparsæ sunt in Decretalibus , in sexto , in Clementinis , in Extravagantibus , si fidem vel mores respiciant à Gallis humiliter suscipiuntur ; si verò disciplinam spectent , à Gallis non recipiuntur nisi quatenus usui Gallorum concordant .

Sie pariter Galli non recipiunt omnes regulas Cancellariæ Romanæ , omnes censuras in Bulla in Cœna Domini contentas , de cœta Inquisitionis , regulas indicis librorum , Constitutiones Congregationum regularium , nisi quatenus concordant usui Gallorum , ita expressis terminis D. de Fleury loco citato . Unum quod moneo istud est , scilicet , quod quamvis omnium Curiarum Romanarum decisiones vigorem legis in Gallia non habeant , quando tractant de rebus ad meram discipli-

nam pertinentes, tamen apud nos auctoritatem debent habere quam maximam, tum quia sunt effata curiæ maximè venerandæ & ratiocinia virorum in jurisprudentia canonica consummatorum. Deinde si hæc decisiones, vel in edictis Regiis, v. g. Blezenſibus, Aurelianensibus, aut Concilio aliquo particulari Galliæ determinentur, tunc incipiunt vigorem legis habere, demum attendendum est an disciplina Italica, tali decisione praescripta, proprius ad disciplinam antiquam, quam usus Gallicanus, videatur accedere, & tunc præferri debet disciplina Italica Gallicanæ.

§. III.

An Ecclesia jure divino potestatem habeat vel directè vel indirectè circa regum temporalia, vel circa temporale subditorum, etiam sine consensu Regum.

Nota. Quod non eadem est omnium Theologorum circa hanc questionem doctrina, aliqui volunt Ecclesiam habere dominium saltem indirectum circa Regum temporalia: hæc fuit sententia Bonifacii VIII. in Bulla quæ incipit: *Unam sanctam*; sed Clemens V. Bulla quæ incipit, *Meruit*, decretalem Bonifacii revocavit quatenus Regiæ dignitati, ac iustibus officiis poterat, ideo sit.

PROPOSITIO unica. Post constitutam à Christo Regalis & Pontificalis potestatis divisionem, Ecclesiastica auctoritas jure divino, neque directe, neque indirecte exten-

di debet ad temporale vel Regum , vel etiam subditorum , sine consensu Regum .

Probatur 1^o. Scripturā. *Regnum meum non est de hoc mundo* , inquit Christus , Joan. 18. v. 36. *Reddite ; inquit , quae sunt Cæsaris , Cæsari : & quæ sunt Dei , Deo.* Math. 22 v.21. Ergo cum Christus omne dominium temporale abjecerit , immò cum vellent eum Regem facere aufugerit ; & cum in hoc Apostoli eorumque immediati successores Christum rigidè imitati fuerint , signum est , auctoritatem Ecclesiae non esse ad temporale regum vel subditorum extendendam iuritis regibus.

2^o. Ex differentia , quam statuunt patres inter regnum & Ecclesiam , Regnum ascribentes Principibus sacerdotalibus , Ecclesiam vero Præsulibus. Athanasius citans Osium , sic Constantimum in sua Apolog. alloquitur : *Tibi Deus imperium commisit , nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit . . . Neque enim fas est nobis in terris imperium tenere , neque , tu Thymiamatum & sacrorum potestatem habes , imperator* , Synesius Epis. 57. Illi , id est , Imperatores , in negotiis , nos in oratione colloca-*ti sumus.* Symmachus in Apol. advers. Anastas. comparans Imperatorem cum Sacerdote sic concludit : *Postremo tu , Imperator , humana administras , ille tibi divina dispensat.* Greg. II. Epis. ad Leonem Isaurum Imp. comparato Sacerdotio cum Imperio sic concludit : *Idcirco Ecclesiis præfecti sunt Pontifices , à Republicæ negotiis abstinentes ; ut Imperatores similiter ab Ecclesiasticis abstineant.* Demum Nicolaus I. Epis. ad Michaelem Imperatorem ,

peratorem, quod sit munus distinctum utriusque, Imperatoris & Præsulis in novo Testamento, licet forte in veteri coniungeretur, eleganter describit his verbis: *Fuerunt hæc ante adventum Christi, ut quidam typicè Reges simul ac Sacerdotes existerent, quod sanctum Melchisedec fuisse sacra prodit historia... sed cum ad verum venium est eundem Regem atque Sacerdotem, ultra sibi nec Imperator jura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperiorum usurpavit, quoniam idem mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, sic actibus propriis & dignitatibus distinctis, officia potestatis utriusque discrevit, ut & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum, Imperiis legibus uicerentur, quatenus spiritualis actio carnalibus distaret incurribus.* Ergo sicut post divisam à Christo Regiam & Ecclesiasticam dignitatem, Principes sœulares jure divino non habent potestatem circa spiritualia, ita nec Præsules, circa temporalia.

3º. Ratione. Respublica instituta à Christo eo fine, ut ejus subditi beatitudinem spiritualem consequantur, non debet auctoritatem suam, nisi ad spiritualia, extendere: quorsus enim ad temporalia, quæ magis abducunt à celo, quam adducant: Atqui Ecclesia est hujusmodi Respublica: ergo auctoritatem, quam accepit à Christo, ad spiritualia non ad temporalia debet extendere. Ea fuit D. Bernardi cautio scribendo ad Eug: IV. lib 4 de consid. cap 3. *Fac opus, inquit, Evangelistæ & pastoris opus impletæ... Aggre-*

Tom. I.

Y

dere verbo, non ferro, & lib. 2. cap. 6. Disce sarcufo tibi opus esse, non sceptro, ut opus facias Prophetæ, & quidem ille non regnaturus ascendit, sed extirpaturus. Et ut ostendat regna temporalia jure divino Pontificibus, etiam supremis non competere; sed solum aliis titulis, si regno aliquando potiantur: Esto, inquit, ut alia quacumque ratione hoc tibi vindices, sed non Apostolico jure; nec enim tibi ille, scilicet Petrus, dare, quod non habuit, potuit; quod habuit, hoc dedit, sollicitudinem, ut dixi, super Ecclesias, nunquid dominationem, super regna.

Consecaria, quæ ex hoc principio educunt Doctores Galli, ut videre est apud Dominum de Fleury in suis institutionibus Juris Canonici 3. P. cap. 25.

C O N S E C T A R I U M I. Ecclesia nullatenus potest exercere suam potestatem supra Reges, vel subditos non baptisatos; quia nullam habet supra illos jurisdictionem: *Quid mihi, inquit, Paulus 1. ad Corin. 5. De illis qui foris sunt, judicare:* & quidem prioribus saeculis Ecclesia nihil contra Imperatores Paganos molita est, sed eis in temporalibus humiliter obsequebatur.

C O N S E C T A R I U M II. Ecclesia non potest exercere suam auctoritatem juridicam circa temporale Regum, vel subditorum etiam baptisatorum; quia Reges in temporalibus solum Deum agnoscent superiorum, à quo immediate vim regnandi accipiunt juxta illud Sap. 6. v. 4. *Quoniam data est à Domino*

potes^tas vobis, & virtus ab altissimo. Et juxta illud Paul. ad Rom. 13. v. 1. Non est enim potestas nisi à Deo. Ut enim eleganter dicit Tertul. in Apol. *Inde est Imperator, unde & homo antequam Imperator*; inde potestas illi, unde spiritus. Et Aug. nihil distinguens inter Imperatorem Paganum & Christianum, crudelem & mitem, sic universaliter pronuntiat lib. 5. de Civ. cap. 21. *Qui Augusto Imperium dedit, inquit, ipse & Neroni; qui Vespasiano vel patri vel filio suavissimis Imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo.* Et subditi in temporalibus solos Reges habent superiores: *Omnis anima, inquit Paulus, ad Rom. 13. potestatibus sublimioribus subdia sit.* & Petrus, subditi estote omni creatura, sive Regi quasi præcellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis. 1. Pet. 2. Tertul. ad Seapulam cap. 2. agnoscit primò Deum, secundò Imperatorem in temporalibus, nequaquam verò Præsules: *Colimus, inquit, sic Imperatorem, ut hominem à Deo secundum & quidquid à Deo consecutum, solo Deo minorem.* Immo Innocen. III. summus Pontifex cap. *Novit de judiciis, eamdem doctrinam ut constantem supponit: Cum Rex, inquit, superiorem in temporalibus neminem recognoscet, &c.*

CONSTRUCTARIUM III. Ecclesiæ ministri, v. g. Papa, Episcopi possunt Reges baptizatos eorumque subditos justis de causis excommunicare; quia hoc judicium est purè spirituale, sed non possunt in poenam contumaciae Reges excommunicatos regno temporali rigivare, aut subditos ab Regis obsequio

dimovere; quia hæc sententia temporale Regum attingeret: Christus autem non jussit, ut Apostoli eorumque successores hujusmodi pœnis uterentur. Non enim, ut canit Ecclesia, eripit mortalia, qui regna dat cælestia. Nec est quod dicatur, Athaliam fuisse, jubente Joada, abdicatam; vel Oziam usurpatam sacra fuisse ab Azaria Sacerdote è folio ejectum: tum quia non valer consecutio, à veteri Testamento ad novum; Christus enim dignitatem regiam & Sacerdotalem in Evangelio voluit esse ab invicem discretas, licet in veteri Testamento essent quasi conjunctæ: deinde Athalia non ejecta est è folio legitimo, sed è folio quod usurpaverat, & Joas legitimus princeps in thronum patris electus est; Ozias vero non ejectus est, sed ipse met Leprosus habitavit segregatus à populo, ut lex jubebat.

C O N S E C T A R I U M IV. Ecclesiæ ministri, v. g. Papa, Episcopi non possunt subditos regis excommunicati absolvere à juramento fidelitatis; quia sic privaretur Rex bono suo temporali, subditi enim sunt Regis dominium. Et sicut Reges, licet excommunicati, non desinunt esse homines civiles, ita neque Reges; quia auctoritas Regia juris est gentium quod non tollitur per jus Ecclesiasticum.

Nec est quod dicatur, quod in Concilio Lateranensi 4 & in Concilio Lugdunensi videatur determinari Reges privati posse suo regno, si vel labantur in heresim, vel hereticis suppetias ferant; ut enim latè probant Doctores Sorbonici, vel Concilium ibi lo-

quitur comminatoře, non decretoriě : vel id propositum solum fuit , & non decisum : vel demum Concilium , quoad hoc , non recipi-
tur in Gallia.

C O N S E C T A R I U M V. Ecclesiæ minis-
tri , v. g. Papa , Episcopi non possunt invi-
tis regibus pro libito contra statuta regni de-
reditibus Ecclesiæ disponere , v. g. extra reg-
num transferendo , alienigenis impertiendo ;
quia pertinet ad regem , quod ejus hostes non
dissent bonis Ecclesiasticis.

C O N S E C T A R I U M VI. Ecclesiæ minis-
tri , v. g. Papa , Episcopi non possunt de
personis baptisatis contra statuta regni dis-
ponere ; quia personæ baptisatæ non des-
nunt esse Regis subditæ , & ita invito Rege ,
simplices fideles , Clerici , Monachi non
possunt è regno exire.

C O N S E C T A R I U M VII. Ecclesiæ minis-
tri , v. g. Papa ; Episcopi non possunt invito
Rege beneficia Ecclesiastica , immò nec præ-
laturas monasticas personis , quæ non sunt
Regnicolæ , conserre ; quia , sicuti ad Regem
spectat , ut nullus alienigena , ipso invito ,
in ejus regno degat , negotietur ; ita ad Re-
gem spectat , ut nullus alienigena ipso invi-
to beneficium aut prælaturam possideat. *Quod*
ita exprimit Glossator Pragmaticæ Sandio-
nis : *Rex Franciæ habet privilegium . inquit ,*
*quod exierus & alienigena non potest benefi-
ciari in suo regno sine ejus permissione.*

C O N S E C T A R I U M VIII. Ecclesiæ mi-
nistri , v. g. Papa , Episcopi , personæ , quæ
jure civili sunt inhabiles ad aliquod offi-
cium , non possunt ad idem officium habi-

Ies reddere ; quia habiles reddendo , tempore quodammodo attingerent.

Sic infames jure civili inhabiles ad successionem, non possunt per solam dispensationem Papæ , si consensus Regis non interveniat , fieri habiles.

Sic spurii jure civili inhabiles ad hereditatem patris , sine consensu Regis per solam dispensationem Papæ non possunt ad eam hereditatem fieri habiles D. de Marc. L. 2. Conc. cap 3.

§. IV.

An Clerici humano jure possint ditiones & principatus obtinere , & proinde jurisdictionem aliquam circa res non merè spirituales exercere .

PROPOSITIO unica Humano jure possunt Clerici ditiones , aut principatus obtinere , titulo , v. g. donationis , emptionis , cessionis , labore proprio , demum aliis titulis , quibus cæteri homines acquirunt rerum dominium.

Probatur 1º. Scripturâ. In veteri testamento Levitis datæ sunt urbes in possessionem num. 35. Jeremias Propheta , & Sacerdos patruelis agrum emere jussus est ; Jerem. 32. Machabæi supremam autoritatem obtinuerunt.

In novo Testamento nulla est Lex , quæ Clericos à Dominio rerum temporalium amovet ; quia immò justum declarant , Christus , & Paulus , ut qui altari serviant , de-

altari vivant : ergo Clerici possunt ditiones & principatus obtinere , iisdem titulis , quibus alii homines obtinent : & proinde possunt jurisdictionem circa res non merè spirituales exercere .

3°. Ratione. Clerici non sunt pejoris conditionis quam cæteri homines : ergo cum exteri homines ditiones & principatus obtinere possint , ita & Clerici .

Sic jure justæ retributionis acquirunt oblationes , quæ eis ad victimum & vestitum decentem dantur à populis .

Sic jure donationis acquisitum est jus circa principatus , circa regna , quæ multi reges , vel summo Pontifici , vel aliis Præfulibus contulerunt .

Sic jure emptionis acquisitum est dominium eorum principatum , quos aliquando Clerici compararunt .

Conjectaria hujus Doctrinæ

CONJECTARIUM I. Quando Clerici habent alicujus , vel regni , vel principatus dominium , tunc possunt leges circa temporalia statuere , & circa eadem temporalia jurisdictionem ordinariam exercere ; quia non sunt pejoris conditionis quam Principes sæculares : Principes autem sæculares possunt & leges condere & jurisdictionem exercere ; ergo & Clerici , quando habent principatus & regna in sua ditione , de quo ita D. Thom. 2. 2. q. 60 a. 6. ad 3. Potestas sæcularis subditur spirituali , sicut corpus animæ ; & ideo non est usurpatum iudicium , si spiritualis Pra-

Iatus se intromittat de temporalibus, quantum ad ea, in quibus subditur ei sacerdotis potestas, vel quae ei à seculari potestate relinquitur.

Sic Papa quatenus Christi Vicarius potestatem spiritualem habet in tota Ecclesia, quatenus Patriarcha occidentis potestatem habet Patriarchalem in toto occidente, quatenus Romanus Episcopus potestatem habet Episcopalem in suo Episcopatu, quatenus Princeps temporalis potestatem habet temporalem circa temporale eorum, qui sibi subjiciuntur; inde est, quod leges etiam civiles, quas condit, ligent cives sibi subditos & non ligent eos, qui ei temporalites non subjiciuntur.

Sic Papa, Episcopi, Abbates, si habeant principatus terrenos, possunt, non secus ac principes secularares, judicare, & Vicarios iudices statuere.

C N S E C T A R I U M II. Licet Clerici non habeant principatus, vel ditionem temporalem, tamen possunt à Principibus autoritatem judicandi ex delegatione accipere; quia si Princeps secularis possit personam secularis delegare, ut judicet; ergo & Ecclesiasticam, modò habeat dotes ad judicandum necessarias. Illud præstitum fuit à Principibus secularibus, ut patet ex Codice de Episcop. Audient. L. 22. 23. 24. 25. 26. 27. & 33.

C N S E C T A R I U M III. Licet Clerici, nec ditiones temporales habeant, nec delegentur à Principe seculari, possunt, ut arbitri, judicare. Quia quilibet homo potest eligi ut *judex arbitrarius*; modò habeat dotes ad ju-

dicandum necessarias. Si id possit quilibet homo, quidni Clericus ? & ita tempore Pauli fideles judicabantur per arbitros ; & tempore Justiniani permisum erat Clericis, ut tamquam arbitri judicarent. Cod. L. 7. & 8. de Episc. audien.

Hinc ergo constat, quod Ecclesiastice personæ potestatem habeant spiritualem, quâ judicant spiritualia, & potestatem temporalem, quâ judicant temporalia, quando sunt Principes ; potestatem delegatam, quando delegantur à Principibus ; potestatem arbitrorum, quando eliguntur ut arbitri. Hinc fit quod personæ Ecclesiastice tribunal habeant, in quo judicant contentiosè ; sed quo modo exerceatur hæc potestas judicandi in Gallia, sequenti Paragrapho ostendemus.

§. V.

De modo, secundum quem Ecclesia in Gallia exercet potestatem judicandi, quando non est quaestio de rebus omnino spiritualibus ; sed de rebus, quæ aliquam habent cum temporali connexionem.

PROPOSITIO unica. Juxta præsentem Ecclesiæ Gallicanæ praxim, jurisdictio Ecclesiastica, circa causas non merè spirituales, certis limitibus adstringitur.

Probatur 1^o. Autoritate D. de Marca qui in prologom. ad suum opus de Conc. pag 80. ita loquitur : *Sane dissimulandum non est in variis causarum figuris cognitionem adversus Clericos à Regiis Magistris suscipi, tunc*

*de possessione beneficiorum, & jurium Ecclesiastico-
rum motas ab iisdem dirimi, & alia quædam
nonnulla in foro disceptari, quæ jure commu-
ni, ad jurisdictionem Ecclesiasticam per-
tinent; sed eam potestatem usurpant; tum ex
privilegio atque indulgentiâ Sedis Apostoli-
cæ, tum ex pactis cum eâdem Sede initis;
quam alioqui, quatenus Decretis, & Cano-
nibus esset contraria, fine dubio abjicerent:
ergo jurisdictione Ecclesiastica in Gallia qui-
busdam limitibus constringitur.*

*2º. Ratione. Autoritas, quæ in aliquo pen-
det ex concessione Principum, potest juxta
beneplacitum Principis, præcipue consen-
tiente Papa, limitari; atqui autoritas Ec-
clesiastica circa causas non merè spirituales
pendet in aliquo ex concessione Principum;
quia potestas Ecclesiæ propria est solum spi-
ritualis; ergo autoritas Ecclesiastica potest
certis limitibus constringi, præcipue si in-
terveniat, ut supponimus, consensus Papæ
& Concordatum cum ipso. Quomodo autem
exerceatur, videamus.*

Explicatur exercitium jurisdictionis Ecclesiastice in Gallia.

1º. Circa personas ita exercetur.

*Jurisdictio Ecclesiastica in causa criminis
extenditur.*

*1º. Ad Clericos, non qualescumque, sed
solum ad eos, qui fruuntur privilegio Cle-
ricorum. Tales sunt primò omnes in majo-
ribus Ordinibus constituti. Secundò omnes
Beneficiati. Tertiò studentes in aliqua Uni-*

versitate. Quartò alicui officio Clericali addisti, v. g. qui solemniter ministrant sacris; ita Ducassé in suo opere de Jurisdictione Ecclesiastica.

2º. Ad Regulares, non qualescumque, sed eos, qui eximuntur à privilegio Regularium. Tales sunt primò Monachi Curati in aliqua Parœcia. Secundò qui reclamant à votis monasticis. Tertiò qui extra clausuram labuntur in crimen aliquod enorme. Quartò Moniales, quæ sunt extra claustra sine licentia Episcopi. Ducassé ibid.

3º. Ad Laicos, non omnes, sed eos solum, qui non observant constitutiones merè spirituales. Tales sunt primò qui non communicant tempore Paschatis. Secundò qui non confitentur semel in anno. Tertiò qui contra jura Ecclesiæ sponsalia ineunt. Quartò qui in matrimonio ineundo non servant statuta Ecclesiæ. Ducassé ibid.

Jurisdictione Ecclesiastica in causa criminis extendi non potest.

1º. Ad Laicos, qualescumque sint, nisi sit quaestio de causa merè spirituali; quia Laici ut pote sacerdotes subjiciuntur judicibus secularibus.

2º. Ad Clericos qualescumque reos criminis privilegiati, ut dicunt, tale est crimen læse majestatis Regiæ, crimen falsi in Mone-
ta, rebellio contra Regem aut Judices Re-
gios, immo juxta Julium Clarum, omne
crimen merens poenam capitalem, dicitur &
censetur privilegiatum.

3º. Ad Regulares reos criminis intra claus-

tra commissi; quia tale crimen punitur à Regularibus

4°. Clericus vel Monachus, qui rei sunt vulgaris criminis merentis pœnam infictivam, judicantur ab Officiali Episcopi, & à judice civili.

2°. Circa pœnas ita exerceatur.

1°. Judex Ecclesiasticus in causa criminis cuiuscumque, non potest infligere etiam Clericis, primò pœnam capitalem vel mutilationem; quia Ecclesia abhorret à sanguine. Secundò pœnam exilii; quia Ecclesia propriè non habet territorium. Tertiò pœnam flagellationis infligendæ per carnificem; quia pœna est diffamatoria. Quartò multam pecuniariam; quia pœna hæc respicit temporale.

2°. Judex Ecclesiasticus in causa criminis potest infligere suis Clericis, priuam flagellationis per modum paternæ correctonis, sic iuxta Aug Episcopi jubebant juniores Clericos virginis ædi, & Abbates Monachos Secundò pœnam incarcerationis, sic olim Clerici flagitosi detrucebantur in monasterium. Tertiò pœnam ejectionis, sic Clerici jubentur in suam Diœcesim se recipere. Quartò pœnam pecuniarum, non per modum mulctæ, sed per modum eleemosinæ.

3°. Circa crimina ita exerceetur.

Judex Ecclesiasticus non potest judicare nisi de his criminibus, quibus præcisè violentur constitutiones Ecclesiasticae. Talis est, v.g. venatio lege civili non vetita, popinarum frequentatio, &c. quia cum hæc crimina nihil involvant contra edicta Regum per solos judices Ecclesiasticos judicandi sunt.

Judex

Judex Ecclesiasticus olim judicabat de hæresi, de schismate, blasphemia, apostasia, sacrilegio, superstitione, simonia, homicidio, adulterio, usura, &c. sed cum hæc crimina legibus etiam civilibus prohibeantur, & insuper Reges glorientur se esse protectores canonum, hæc omnia crimina commissa, etiam à Clericis, judicantur per judices civiles; sed una cum judice Ecclesiastico.

4º. Circa res temporales ita exerceatur.

1º. Judex Ecclesiasticus in causa civili nullam litem attingere potest. Primo quæ sit inter duos Laicos; quia sic attingeret temporale. Secundo quæ sit inter Laicum & Clericum, si Clericus sit actor; quia actor debet sequi forum rei. Tertio neque inter Clericos, si actio sit realis, id est respiciens res temporales; quia sic attingeret temporale. Quartò neque inter Clericos, etiam si actio sit personalis; si hæc actio fundata sit in contractu inito coram Notario Regio; quia actio illa ut pote Regia transfert litem ad judicem Regium.

2º. Judex Ecclesiasticus in causa civili potest litem dirimere. Primo si sit inter duos Clericos habentes ad invicem solum actiones personales; quia persona Clerici subicitur foro Ecclesiastico. Secundo si sit inter Laicum & Clericum, & Laicus habeat solum actionem personalem contra Clericum; quia actor sequitur forum rei.

5º. Circa modum procedendi ita exerceatur.

In judicio Ecclesiastico uti in civili debent esse judex, actor & reus, & modus procedendi.

Judex Ecclesiasticus ordinarius est Episcopus erga sibi subditos, Abbas erga suos monachos, & Capitulum exemptum erga Clericos ejusdem capituli.

Judex Ecclesiasticus delegatus est Vicarius Generalis in jurisdictione voluntaria, officialis in jurisdictione contentiosa.

Actor est ille, qui in judicio petit id, quod sibi debitum putat. Reus est is, à quo res exigitur in judicio.

Modus procedendi in jure Ecclesiastico est serè idem, qui in jure civili, præcipue in Gallia, ubi Officiales tenentur formulis à Rege præscriptis adhærere. Proceditur ergo, vel accusatione, vel denunciatione, vel inquisitione.

Accusatio est delatio rei de crimen per actorem respondentem se illud probaturum; si probet, condemnatur reus, si deficiat in probatione, talionis pœnæ accusator addicitur.

Denunciatio est delatio rei de crimen per actorem non suscipientem onus probandi.

Inquisitio est informatio contra criminum autores, quā judex satagit devenire ad plenam probationem.

Hæc executus sum multis, ut qui aliquando vel inviti coguntur vel judicare, vel litigare, sciant quomodo procedendum sit in tribunali Ecclesiastico.

Quoties autem judex Ecclesiasticus prædictos terminos transgreditur, fit provocatio ad judicem sæcularem, & hoc vocant: *Appel comme d'abus.* Legat si quis ea materia egeat foret.

ARTICULUS V.

Ad quæ extendatur Lex positiva divina.

PROPOSITIO unica. Lex positiva divina extenditur ad ea omnia, quæ nos ad salutem consequendam conducere possunt.

Probatur 1º. Scripturâ. Lex positiva divina nihil est aliud, quam divina revelatio, in Scriptura & traditione contenta, docens quid agendum, quid non agendum: atqui divina hæc revelatio extenditur ad ea omnia, quæ nos ad salutem possunt conducere, juxta illud Pauli ad Timot. 2. cap. 3. v. 16. *Omnis Scriptura divinius inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Ergo lex positiva divina extendit se ad ea omnia, quæ nos ad salutem consequendam conducere possunt.

2º. Ratione. Lex positiva divina, cum nihil aliud sit, quam divina revelatio, manifestans quid agendum, quid non agendum, legem æternam in Deo latentem nobis exteriorius Scripturâ & traditione manifestat. Legem naturalem in corde nostro involutam, revelatione nobis per Ecclesiam manifestata, evolvit. Legem positivam, tum civilem, tum Ecclesiasticam in multis deficientem, perficit infallibili suâ veritate: ergo debet se extendere ad ea omnia, quæ nos ad salutem consequendam conducere possunt, ut eam salutem infallibiliter asequamur.

Consecrarium unicum hujus Doctrinae

Cum lex positiva divina sit idem ac divina revelatio contenta in Scriptura & traditione, docens quid agendum, quid non agendum, oportet, ut homo talis sit erga divinam legem positivam, qualis esse debet erga divinam revelationem. Vide quæ circa illud officium diximus primo tractatu, & quæ dicturi sumus in ultimo tractatu.

ARTICULUS VI.

De extensione Legis quoad actus, sive de atibus, quos una & eadem Lex vetat, aut jubet, simulque explicatur, quomodo Lex per actus internos & externos violetur.

PROPOSITIO. I. Quælibet lex iusta præcipit actus virtuosos, qui per se conducunt ad finem legis; vetat vero actus vitiosos, qui per se abducunt à fine legis.

Probatur 1^a. Scripturâ. Declina à malo, & fac bonum. Psal 36. v. 27. ubi Scriptura innuit actus virtuosos imperari, vitiosos vero vetari.

2^a. Ex D. Thom. Proprius effectus legis est bonos facere eos, quibus datur, vel simpliciter, vel secundum quid. 12. quæst. 92. art. 1. Ergo lex præcipit actus virtuosos, qui per se ducunt ad finem legis; vetat vero eos, qui abducunt; quia non aliter possunt homines boni & virtuosi fieri, nisi exercendo actus virtuosos, fugiendo vitiosos.

3^o. Ratione. Lex est regula actionum humana, sicuti ars est regula arte-factorum: ergo sicuti ars præcipit artifici actus, qui per se conducunt ad conficiendum artefactum; vetat vero eos, qui removent à confectione artesacti; ita lex præcipit homini eos actus, qui per se conducunt ad finem legis; vetat vero eos, qui abducunt hominem à fine legis.

Consecataria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Lex naturalis præcipit virtutes morales ordinis naturalis, v. g. prudentiam, justitiam, fortitudinem, & temperantiam; quia per se conducunt ad honestatem: vetat vero vitia his virtutibus opposita; quia *Honestè vivere, neminem lacerare*, est finis legis naturalis.

CONSECTARIUM II. Lex supernaturalis præcipit virtutes supernaturales infusas, quales sunt virtutes Theologicæ, fides, spes, charitas, & quales sunt virtutes morales infusæ, scilicet prudentia, justitia, fortitudo, temperantia: & vetat vitia iis virtutibus opposita; quia finis legis divinæ est videre Deum, ut est in se. Ad quod obtainendum requiritur, ut prædictæ virtutes exerceantur; & vitia eis opposita vitentur.

CONSECTARIUM III. Lex Ecclesiastica præcipit ea, quæ conducunt per se ad cultum verè religiosum; & prohibet ea, quæ abducunt ab eo cultu; quia finis Ecclesiæ est verum cultum religiosum inter homines faci-
vere.

CONSECTARIUM IV. Lex civilis virtutes politicas præcipit, quæ per se conducent ad quietem Reipublicæ: vetat vero ea, quæ eam perturbant; quia finis legis civilis est fovere quietem, & pacem inter cives.

CONSECTARIUM V. Lex naturalis per se directè præcipit actus interiores & exteriores virtutum moralium; quia actus interior & exterior est necessarius ad veram honestatem.

CONSECTARIUM VI. Lex divina supernaturalis per se directè præcipit actus interiores, & exteriores virtutum supernaturalium; quia illi actus sunt necessarii ad finem supernaturalem obtinendum.

CONSECTARIUM VII. Lex Ecclesiastica per se directè præcipit actus externos ad religiosum cultum peragendum requisitos; quia illi actus sunt necessarii ad obtinendum finem, quem Ecclesia sibi propone, scilicet cultum sensibilem Deo dignum.

CONSECTARIUM VIII. Lex civilis per se directè præcipit actus externos ad quietem publicam inducendam necessarios; quia talis quies est ejus finis.

CONSECTARIUM IX. Lex Ecclesiastica & civilis indirectè præcipiunt actus internos necessario requisitos ad hoc, ut actus externi sint liberi & morales, ea liberitate, & moralitate, quæ competit actui, qui præcipitur; quia, cum directè præcipitur aliquod opus externum, præcipitur indirectè id, quod exigitur, ut opus externum fiat; actus autem interior præexigitur, ut

actus externus sit liber & moralis.

CONSECTARIUM X. Quando lex Ecclesiastica & civilis determinant solum legem naturalem & divinam, tunc directe præcipiunt actus interiores & exteriores, sicut & ipsamet lex naturalis & divina; quia tunc lex Ecclesiastica & civilis nihil aliud sunt, quam ipsamet lex naturalis, vel divina applicata.

Sic quando Ecclesia præcipit orationem, celebrationem festorum, Sacramentorum receptionem, Ecclesia jubet rem præceptant fieri eo modo, & his actibus, quibus fieri deberet, si Deus præciperet; quia tunc tantum determinatur in particuliari, quod Deus jubet in communi.

Sic quando lex positiva determinat honorem erga parentes, justitiam erga proximum; Legislator præcipit rem fieri eo modo, & his actibus, quibus facienda esset, si præciperetur à Deo; quia tunc determinatur in particuliari id, quod Deus jubet in communi.

PROPOSITIO II. Actus internus liberè & voluntariè elicitus, repugnans legi, est peccatum, licet exteriùs non adimpleatur.

Probatur 1º. Scripturā. *Homo, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam Mæchatus est eam in corde suo.* Matth. 5. Ergo, si homo ille coram Deo sit Mæchus in corde, actus internus sufficit ad peccatum, licet exteriùs non adimpleatur.

2º. Ex Aug. lib. 1. de Libero Arbitrio 3. *Ut intelligas, inquit, libidinem in adulterio malum esse, si cuiquam non contingat facultas*

concubendi cum conjugé alienâ, planum tamen aliquomodo sit id cum cupere; & si potestas datur, facturum esse, non minus est reus, quām si ipso facto deprehenderetur: Ergo ad peccatum sufficit actus internus.

3º. Ratione. Peccatum est actus liber repugnans legi; ergo cum actus ille, de quo loquimur, licet internus, sit verè liber, & repugnans huic legi: *Non concupisces*, talis actus est peccatum.

Deinde homines vident ea, quæ exteriū patent; Deus autem supremus Legislator intuetur cor: ergo, si interiū in corde jam conceptum sit peccatum, homo ille coram Deo reus est, ut dicit Aug. L. de continent. cap. 1. & 2. Loquendo de hominibus, qui actus internos, non externos legi contrarios eliciunt: *Quantum in ipsis est*, inquit, membra sua exhibent armæ iniustitiae peccati; quia hoc volunt, quod propria non exhibent, quia non possunt.

Consecaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Cogitationes voluntariæ & liberæ de rebus vanis & inutilibus, etiam citra affectum, sunt peccata venialia; quia sunt actus interni vani & otiosi, si enim verbum vanum & otiosum sit peccatum veniale, de quo homines in die judicii reddent rationem; cogitationes otiosæ & inutiles sunt etiam peccatum veniale.

C O N S E C T A R I U M II. Omnis cogitatio libera de objecto illico cum affectu circa illud est peccatum ejus speciei & gravitatis,

tuus est objectum : ait enim Isaías 1. v. 16. *Auserte malum cogitationum vestrarum ; & Christus, ut quid cogitatis mala in cordibus vestris.* Matth. 9. v. 4. *Non enim solum factis, sed cogitatione delinquimus, si eis illicite occurrentibus delectemur,* ut ait Isidorus lib. 2. de summo bono cap. 25.

Sic cogitatio libera de objecto , quod est peccatum veniale , est pariter peccatum veniale , v. g. cogitatio de mendacio jocoso , de furto rei exiguae &c.

Sic cogitatio libera de objecto , quod est peccatum mortale , v. g. de homicidio , de furto , &c. est peccatum mortale ; quia deliberatus consensus in his , quæ sunt peccata mortalia ex genere suo , est peccatum mortale. D. Thom. 2. 2. q. 74. art. 10. *Perversæ enim cogitationes separant à Deo ,* inquit Sap. 1. 3. Solum autem peccatum mortale à Deo separatur.

C O N S E C T A R I U M III. Omnis cogitatio libera de peccato commisso , vel commitendo , vel à se , vel ab alio , cum affectu circa illud , est peccatum veniale , si peccatum patratum , vel perpetrandum sit veniale ; mortale vero , si peccatum patratum vel perpetrandum fuerit mortale. Ita docet D. Thom. *Nullus delectatur nisi in eo , quod est conforme appetitui ejus , quod autem aliquis ex deliberatione eligat , quod affectus suus conformetur his , quæ secundum se sunt peccata mortalia , est peccatum mortale :* unde talis consensus in delectationem peccati mortalis est peccatum mortale. 2. 2. q. 74. art. 9.

Dixi , si fiant cum affectu ad objectum , vel actum prohibitum ; nam si cogitatio sit

ab omni pravo affectu aliena , non est peccatum , immò potest esse utilis , ut si quis citra omne periculum cogitet de objecto prohibito , ut de eo disputet , prædicet , aut ad eum horrorem , & se , & alios excitet . Ita D. Thom. ibidem . Rursus aliud est delectari de objecto , vel actu prohibito , aliud de modo actus ; si enim modus non fit prohibitus , possumus de eo licetè cogitare , puta , si quis furtum & homicidium abhorrens , industriam in furando , dexteritatem in homicidio perpetrato delectetur audire ; potest enim modus placere , & actus vitiosus displicere : sicuti comedizæ repræsentantes bella , possunt esse licitæ ; bella vero illicita . Ita Nicolai in D. Thom.

C O N S E C T A R I U M IV. Delectatio morosa plene voluntaria de actu malo , sine voluntate exequendi actum cogitatum est peccatum mortale , si actus , de quo quis cogitando delectatur , sit peccatum mortale , putà adulterium , furtum , homicidium , &c. Peccatum vero veniale , si actus , de quo quis cogitando delectatur , sit peccatum veniale , putà jocari verbis lètis , comedere laute , &c. Quod morosa delectatio plenè deliberata in materia gravi sit peccatum mortale , certum est ; hac morosa delectatione *Totus homo damnabitur nisi hæc peccata per mediatoris gratiam remittantur* , inquit Aug lib. 12. de Trinit. cap. 12. & D. Thom. ait : *consensus in delectationem , quæ procedit ex complacencia actus homicidii cogitati , est peccatum mortale.* 2. 2. q. 74. art. 8. ad 5. Idem censet Clerus Gallicanus. art. 29. de cogitationibus morosis.

Unde mortaliter peccant, qui delectantur cogitatione operis pro nunc illiciti, quod antea erat licitum, vel aliquando erit licitum, v. g. vidua, quæ delectatur de præteritis actibus conjugis; despensati, qui delectantur de futura commixtione carnali initio matrimonio. Ita Natalis.

C O N S E C T A R I U M V. Desiderium absolutum, propositum absolutum faciendi aliquid prohibitum, est peccatum; quia estactus internus contrarius legi: *Si propriea non facis, inquit Aug. furtum; quia times, ne videaris; intus fecisti; in corde fecisti; furti teneris, & nihil tulisti.*

C O N S E C T A R I U M VI. Desiderium conditionatum, propositum conditionatum de re ex se mala, & lege naturæ prohibita, est peccatum mortale, si adsit materiæ gravitas, & plena deliberatio, nisi fortè conditio opposita tollat malitiam ab objecto; quia est actus internus liber legi contrarius; & quia conditio opposita hujusmodi desideriis & propositis non potest tollere malitiam ab objecto: *Et ponit in voluntate affectum volendi peccatum illud, inquit Cajetanus.*

Sic ista desideria & proposita sunt peccata mortalia: vellem blasphemare, pejerare, mochari, furari, &c. sic hæc non puniuntur temporaliter in hoc mundo, vel in perpetuum in altero; quia hujusmodi conditio-nes non impediunt, quin id, quod optatur, vel intenditur, non sit ex se malum. Idem dicendum de ipsis conditionatis desideriis: si non essem Sacerdos, inebriarer; si non es-

sem monachus , luxuriæ non resisterem ; quia pariter conditio apposita non aufert malitiam ab objecto.

C O N S E C T A R I U M VII. A desideriis conditionatis , in quibus etiam conditio apposita tollit malitiam ab objecto , omnino abstinentum est ; quia periculum est , ne hujusmodi desideria inordinate excitent concupiscentiam

Sic abstinentum est , tanquam à peccato , vel ad minus tanquam à periculosa tentatione , ab hujusmodi desideriis : vellem blasphemare , si actus ille non esset legi contrarius ; vellem venari , si liceret Clerico ; vellem nubere , si liceret Sacerdoti . &c. de quo ita autor Epist. ad Demetriadem : *Affuescat animus sollicitudinē per vigiliū custodiā discernere cogitationes suas ; & ad primum animi motum , vel probare , vel reprobare , quae cogitat , ut bonas cogitationes alat , vel statim extinguat malas.*

C O N S E C T A R I U M VIII. Cogitationes liberæ de objecto illicito cum affectu circa illud , cogitationes liberæ de peccato commisso , vel committendo ; delectationes de actu malo sine voluntate exequendi ; desiderium absolutum , vel conditionatum faciendi aliquid prohibitum , sunt peccata ejusdem speciei , cujus sunt objectum : sed illa peccata eo sunt graviora , quo sunt magis voluntaria ; quia cum peccatum ortum irahat à voluntate , eo debet esse gravius , quo est magis voluntarium.

Sic cogitationes quantumvis perverse , quibus fortiter resistimus , nullatenus sunt peccata ;

peccata; quia nullatenus sunt liberæ, ut patet ex stimulis carnis colaphisantibus Paulum: hæc enim tentatio nihil nocuit Paulo, nec nobis pariter nocet, si ei fortiter resistamus.

Sic cogitationes de objecto mortaliter culpabili, quibus segniter resistimus, sunt peccata venialia, tantò graviora, vel leviora, quantò major, vel minor est in resistendo negligentia.

Sic cogitationes de objecto mortaliter culpabili, quæ mentem subeunt ex occasione periculosa, quam non fugimus, sunt peccata mortalia, cum eas promptè non rejicimus: ut patet exemplo David, qui cum deambularet in solario domus regiæ, vidit mulierem se lavantem, ex adverso super solarium suum... Tulit eam dormivitque cum ea. 2. Reg. cap. II. v. 2. 3. 4.

Sic cogitationes de objecto mortaliter culpabili, quas non modo non rejicimus, cum occurront, sed quas sponte & ex industria evocamus, sunt peccata mortalia, tanto graviora, quanto magis insistimus in illis accersendis. Hujusmodi erant cogitationes prævæ, quas fovebant & in se excitabant senes lascivi, castissimam Susannam depreuentes. Dan. 13.

PROPOSITIO 2. Actus exterior difformis legi, quo actum interiorem exequimur, novam secum affert malitiam in confessione aperiendam.

Probatur 1°. De corde excent cogitationes male, homicidia, adulteria, fornicationes, furtæ, falsa testimonio, blasphemiae; hæc

sunt, quæ coinquinant hominem. Math 15.
v. 19. Ergo Evangelium declarat externa hæc
peccata coinquinare hominem; ergo sunt in
confessione aperienda.

2°. Ex Aug. lib. 13. de Trini. cap 6. *Mala
voluntate vel sola miser quisque efficitur;
sed miserior potestate, quâ desiderium ma-
lae voluntatis impletur: ergo si actus exterior
misériores nos efficiat, reddit & nequiores, &
ita est in confessione aperiendus.*

3°. Actus exterior bonus addit bonitatem
aliquam actui interiori; perfectius enim est
virginitatem servare, & affectu, & re, quam
solo affectu: ergo actus exterior malus ad-
dit malitiam aliquam actui interiori.

4°. Ex actu exteriori addito interiori mul-
tæ emanant circumstantiæ, quas necessum
est in confessione explicare, v. g. hebetan-
tur sensus, & potentia fiant ad peccandum
promptiores, ut quilibet experitur. 2°. Frequent-
ter generatur scandalum, quod non fit per
actus merè internos. 3°. Interdum etiam
obligatio reparandi damnum, ut fit in pec-
catis contra justitiam; quam obligationem
numquam trahit secum actus merè internus.

4°. Aliquando incurrit excommunicatio,
irregularitas; quod numquam fit per actus
merè internos: ergo actus externus addit
interno malitiam in confessione aperiendam.

Consecrarium hujus Doctrinæ.

Vitanda est periculosa illa tentatio. quam
diabolus solet aliquando suggerere, scilicet,
quod cum jam interius peccato consensi-

mus, exterius peccatum consummandum est; cum coram Deo tota malitia actus exterioris proveniat ab actu interiori; quia hac fraude utitur Dæmon, ut nos ad peccandum at dentiores efficiat; vix enim fieri potest, ut voluntas peccandi, opere suo non augeatur. Hug. à Sancto Victore. lib. II. de Sacra. cap. 6.

ARTICULUS II.

De extensione legis quoad objecta, sive de his, quæ unâ & eadem lege velantur, aut præcipiuntur.

PROPOSITIO. unica. Quando plura inter se necessariam habent connexionem, si lex præcipiat unum, præcipit & aliud; si prohibeat unum, prohibet & aliud.

Probatur 1^o. Scripturâ. Cum Scriptura loquitur de his, quæ necessario connectuntur. uno & eodem præcepto utrumque attingit.

Sic quia exercitium virtutis, & fuga vitii connectuntur, inde est, quod Deus uno & eodem loco vitium prohibet, & virtutem imperat his verbis: *Declina à malo, & fac bonum*, & quia timor divinus excludit timorem mundanum, inde est, quod Christus uno & eodem loco his verbis unum præcipit, & alterum prohibet: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus; sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam*. Math. 10. v. 28. Ergo quando plura inter se necessariam habent connexionem,

A a ij

si lex præcipiat unum , præcipit & aliud ;
si prohibeat unum , prohibet & aliud.

2°. Ex Jure Canonico cum quid prohibe-
tur , prohibentur omnia , quæ sequuntur ex
illo Reg. 39. de Reg. juris in 6.

3°. Ratione. Imprudentissimum esset vel-
le separare , quæ ex se conjunguntur : cum
ergo lex sit actus prudentiæ in debitum fi-
nem dirigentis , non disjungit , quæ conju-
nguntur , sed quando plura sunt connexa , si
præcipiat unum , præcipit & aliud ; si pro-
hibeat unum , prohibet & aliud.

Consecaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. In præceptis af-
firmativis negativa , & in negativis affirma-
tiva continentur Quia necessario con-
nectuntur. Sic istud præceptum affirmati-
vum ; *Dominum Deum tuum adorabis &*
illi soli seruies , includit istud negativum ,
non habebis Deos alienos coram me. Istud
præceptum affirmativum , per nomen Dei
tui jurabis , includit istud negativum , non
assumes nomen Dei tui in vanum , & sic de
aliis præceptis Decalogi.

C O N S E C T A R I U M II. Quando præci-
pitur aliqua virtus in specie , simul prohi-
betur vitium huic virtuti contrarium ...
Quia hæc duo connectuntur. Cum præcipi-
tur prudentia , justitia , fortitudo , tempe-
rantia ; eadem lege vetatur imprudentia , in-
justitia , pusillanimitas , & intemperantia.

C O N S E C T A R I U M III. Quando præci-
pitur aliquid , quod habet necessarium rela-

TRACT. IV. CAP. IV. 281
tionem cum alio , utrumque sub præceptum
eadit.

Sic cum præcipitur ministris Ecclesiæ , ut
prædicent Evangelium ; præcipitur & popu-
lis , ut prædicatum Evangelium audiant , &
fuscipiant .

Dum dicitur plebi , ut legitimo subsit
principi ; dicitur & principi , ut plebem
sibi commissam rueratur .

Dum natis præcipitur filialis affectus er-
ga parentes ; parentibus item demandatur
paternus affectus erga filios &c... Quia hæc
relative connectuntur .

CONSECTARIUM IV. Quando vitium
aliquid prohibetur , prohibentur pariter ea
omnia , quæ sunt vel causa vel occasio in-
ducentes per se ad illud , quod est prohibi-
tum . Item quando aliqua virtus præcipi-
tur , præcipiuntur pariter ea , sine quibus
virtus illa non potest consistere ; quia hæc
invicem connectuntur .

Sic quando lex vetat peccatum , vetat si-
mul ea , in quibus periculum est , ne pecces ;
quia , ut moneret Sapiens : *Qui amat pericu-
lum , peribit in illo.* Et optimè consulit Aug.
In occasione peccandi apprehende fugam ,
si vis invenire victoriam , v. g. qui yetat ido-
lolatriam , vetat commercium cum idola-
tris cogentibus ad idolatriam : qui yetat
fornicationem , vetat ea , quæ ad fornicationi
trahunt , &c.

Quando lex jubet fidem , spem , charita-
tem , religionem ; jubet simul orationem ,
verbi divini meditationem , Sacramentorum
usum , & alias hujusmodi , sine quibus præ-

dictæ virtutes stare non possunt.

CONSECTARIUM V. Præceptio aliquius virtutis in specie, includit præceptionem cognatæ virtutis; & prohibitio aliquius peccati in specie, includit prohibitio nem cognati vitii.... quia connectuntur.

Sic quando præcipitur prudentia, justitia, fortitudo, temperantia; præcipiuntur & aliæ virtutes cum illis connexæ, quæ solent vocari à Theologis partes, vel integrantes, vel subjectivæ, vel potentiales superioris virtutis.

Quando prohibentur vitia capitalia, superbia, avaritia, luxuria, gula, ira, invidia, accidia; prohibentur simul & alia vita, quæ ab ipsis tamquam à suis radicibus pullulant.

ARTICULUS III.

De extensione legis quoad personas.

PROPOSITIO unica. Quando lex vetat aut præcipit aliquid, alloquitur non solum factores, sed etiam & cooperatores: & ita peccant, non solum qui faciunt rem veritatem, sed etiam ii, qui cooperantur. Similiter peccant, non solum qui omittunt rem præcepram; sed etiam qui faciendæ rei præceptæ debebant cooperari.

Probatur 1º. Scripturâ: *Digni sunt morte*, inquit Paulus, *non solum qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus*, ad Rom. i. Ergo lex alloquitur non solum factores, sed cooperatores.

2^o. Ex Jure Canonico facientem & consentientem par poena constringit. Can. No-
tum.

3^o. Ratione. Quando lex prohibet aliquid fieri, eo tendit, ut impedit, ne malum illud committatur: ergo debet ligare non solum eos, qui faciunt malum, sed eos etiam, qui cooperantur malo faciendo; quia & qui faciunt malum, & qui cooperantur mali faciendo, sunt causa mali; proinde resistunt legi, & peccant.

Quando lex pariter præcipit aliquid, eo tendit, ut res præcepta fiat, & non omitatur: ergo debet obligare & eos, qui rem præceptam debent facere, & eos, qui rei facienda debent cooperari, ut non interveniat omissio rei præceptæ; quia si interveniat, omnes resistunt legi, & proinde peccant.

Qui aliquo ex prædictis modis violant legem, exprimuntur h's versibus.

Jussio, consilium, consensus, palpo, re-
cursus.

Participans, mutus, non obstans, non
manifestans.

Consecratio hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. In quo explica-
tur hæc vox, jussio. Qui jubent committi
aliquid peccatum, peccant, licet per scip-
pos malum non faciant; quia sunt causa ma-
lii juxta illud juris; *Is. damnum dat, qui ju-
bet. dari.* Ideo Herodes in Scriptura diei-
tur amputasse caput Joannis; eo quod injus-
tum illud homicidium præceperat, Matth. 14.

Herodes censetur graviter peccasse, dum ius-
fit occidi infantes ab imatu, & infra. Matth. 2.
& Pharao censetur occidisse, quos jussit
aquis submergi. Exod. 1. Si peccant.

1°. Parentes, qui præcipiunt filiis, ut ini-
micis familiæ non parcant, ut bona male
parta retineant, &c.

2°. Heri, qui imperant servis suis aliquid
vetitum, v. g. opera servilia diebus festis;
qui non præcipiunt servis suis, ut exerceant
virtutes, quas tenentur exercere, v. g. non
curant, ut jejunent diebus ab Ecclesia pæ-
ceptis, &c.

3°. Hi qui opificibus præcipiunt diebus
festis servilia, ut habeant vestes, quibus ves-
tiantur superbè, & cibos, quibus lautissime
& ultra modum nutriantur.

C O N S E C T A R I U M II. In quo explica-
tur hæc vox, consilium. Qui consulunt ali-
quid illicitum, peccant, licet ipsi rem pro-
hibitam, quam consulunt, non faciant;
quia sunt causa mali juxta illam regulam
juris civilis: qui facit per alium, est perin-
de ac si faciat per seipsum; ideo Scriptura
reprehendit Prophetam Balaam, qui regi
Balaac suasit, ut pulchriores foeminas Mo-
abitidas in Judæorum castra traduceret, qui-
bus Hebræi ad fornicationem simul & idolo-
latriam pellicerentur num. 24. Vituperatur
& Caiphas, qui Christi mortem consuluit,
Joan. 11. Sic peccant.

1°. Qui docent falsa dogmata juxta illud:
væ qui dicitis bonum malum, & malum bo-
num.

2°. Qui injustas lites consulunt, uti so-

lent facere aliquando causarum patroni.

3º. Qui demonstrant, quibus modis peccata committi possunt, v. g. aperiunt junioribus incognitos modos, tum libidinis, tum ebrietatis, tum furti, &c.

CONSECTARIUM III. In quo explicatur hæc vox, consensus. Peccant, qui consentiunt rei illicitæ, quando possunt & debent eam impedire; quia juxta Aug. in Psal. 139 Confessione ad peccatum alterius, suum sit peccatum. Ideo Scriptura Araonem damnat, quod erigendo aureo vitulo consensisset, & sic peccant.

1. Caupones, qui consentiunt comedationibus, ebrietatibus, blasphemis, quæ in eorum domibus committi solent.

2. Peccant, qui inita societate cum detractoribus, blasphemis, ebriosis, &c. eorum peccatis non se fortiter opponunt.

3. Viri & fœminæ, qui aut lascivis colloquiis, aut imputis aspectibus mutuò se ad libidinem provocant.

CONSECTARIUM IV. In quo explicatur hæc vox, palpo. Peccant, qui vel laudando vitium, vel vituperando virtutem, alios ad peccandum excitant; quia sunt causa mali. Illud vitium vehementer Psalmista detestatur, dicens: *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur.* Psal. 10. Ideo Scriptura factum Jezabel arguit, quæ Regem Achab & laudibus & desideriis eo adduxit, ut vineam Naboth usurparet, sic peccant.

1. Confessarii, qui peccatores excusant, & toti sunt ad *Excusandas excusationes in*

286 MORALIS CHRISTIANA.
peccatis, juxta Illudi: *Vae, qui consumunt pul-*
vilos sub omni cubito manus, & faciunt cer-
vicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas
animas. Ezech. 13. v. 18.

2. Hi, qui rident homines verè pios; im-
pios vero non erubescunt laudibus esse.

3. Hi, qui ex professo impii, alios insec-
tantur, eosque vituperant, eo quod non
sint ad peccandum fatis audaces.

CONSECTARIUM V. In quo explica-
tur hæc vox, recursus. Graviter peccant, qui
peccatores recipiunt eisque suppetias ad
peccandum liberius offerunt; quia sunt cau-
sa peccati. Ideo Scriptura nobis exhibet To-
biam furtivos recursus ita reprehendentem:
Videte, ne hædus furtivus sit, reddite eum Do-
minis suis: quia non licet nobis aut edere ex
furto aliquid, aut contingere. Tob. 2. v. 21.
sic peccant.

1. Peccato hæreticos, qui hæreticis sup-
petias administrant; peccato rebellionis, qui
Christianos contra Ecclesiam rebelles tue-
ntur; peccato furti, qui furibus auxilium pro-
mittunt.

2. Peccant, qui aut à filiis familias, aut
à servis accipiunt, quæ ipsi subfurati sunt.

3. Caupones, & alii, apud quos eduntur
aut consumunt ea, quæ sciunt esse surto
ablata.

CONSECTARIUM VI. In quo explica-
tur hæc vox, participans. Peccant, qui una-
cum aliis mutuo se excitando peccatum com-
mittunt; quia sunt causa mali. Ideo Scrip-
tura proditionem Judam inter eos, qui Chris-
tum occiderunt annumerat; quia tanti cri-

minis particeps fuit & Aug. dicit quod Paulus magis saeviebat in Stephanum, Iudeos adjuvando, quam suis manibus lapidando: Sic peccant.

1. Servi, qui Dominis suis inseruiunt in his, quae sunt ab intrinseco mala, v. g. inseruiunt libidini explendæ, fovendæ vindictæ, &c

2. Milites, qui duces & prefectos exercitus adjuvant in his, que manifestè jura belli non permittunt.

3. Hi, qui suo suffragio suoque calculo injustis contra plebem exactiōnibus cooperantur.

CONSECTARIUM VII. In quo explicatur hæc vox, mutus. Peccant, qui cum possent & deberent peccata proximi utili correctione impedire, ea tamen non impediunt; sed silent, dum loqui oporteret. Ideo Scriptura Heli vituperat, quod peccantes filios paternis commonitionibus fortiter à peccando non retraxerit; increpat pariter omnes pastores, qui tamquam canes muti non valentes latrare, populum peccantem non arguunt, non increpant cum omni patientia. Sic peccant.

1. Fidelis quilibet, qui cum posset fratrem suum opportuna correctione à peccato avertere, illam tamen fraternali correctione omittit.

2. Peccant parentes, & qui loco parentum sunt, qui sibi subditos paterna autoritate à peccando non retrahunt.

3. Peccant superiores Ecclesiastici & politici, qui silent; dum sibi subditi peccatum

288 MORALIS CHRISTIANA
aliquid committunt, quod solo verbo pos-
sent impedire.

CONSECTARIUM VIII. In quo expli-
catur hæc vox, non obstans. Peccant hi,
qui peccata non impediunt, quæ possunt
autoritate suâ impediare; quia connivendo
sunt causa peccati, juxta illud vulgare dic-
tum: negligere, cum possis deturbare perver-
sus, nihil aliud est, quam fovete; nec caret
scrupulo societatis occultæ, qui manifesto
desinit obviare. Ideo Scriptura vituperat Re-
gem Joas; quod cum potuisset, & debui-
set excelsa destruere; ea tamen non abstu-
lit: *Fecitque Joas*. Inquit Scriptura, *rectum
coram Domino cunctis diebus, quibus docuit
eum Joiadas Sacerdos; verumtamen excelsa non
abstulit.* 4 Reg. cap 22 Ideo his verbis Scrip-
tura Prælatos omnes commonet: *Noli fieri
iudex, si non valeas perrumpere iniquitatem.*
Sic peccant.

1. Omnes, qui ex officio suo peccata de-
bent impediare, & non impediunt; quales
sunt Superiores Ecclesiastici & politici.

2. Omnes, qui ex naturali, quam habent
supra sibi subditos autoritate, eorum pec-
cata non impediunt: quales sunt parentes
erga filios, & heri erga servos.

3. Omnes, qui ex conventione initâ eo-
rum peccata non impediunt, quorum cu-
ram suscepérint: tales sunt, v. g. tutores
erga pupilos, magistri erga discipulos.

CONSECTARIUM IX. In quo explicat-
ur hæc vox, non manifestans. Peccant hi,
qui peccata ab aliis commissa, vel commit-
tenda, legitimis superioribus non denun-
tiant

tiant, cum oportet; quia tali silentio sunt causa peccati. Ideo Scriptura eos peccati conscientias declarat: *Si peccaverit, inquit, anima, & audierit vocem iurantis, restisque fuerit, quod ait ipse vidit, aut conscientis est: nisi indicaverit, portabit iniquitatem suam.* Ley. 5. & Paulus ad Ephes. 5. *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, sed magis redargite, & ita peccant.*

1. Qui ex officio tenentur reuelare peccatores, & non reuelant; tales sunt, qui huic officio praeficiuntur à republica.

2. Qui ex conventione ad idem munus tenentur: tales sunt, v. g. servi erga res sibi ab heris suis commissas.

3. Qui ex præcepto civili vel Ecclesiastico tenentur testimonium proferre, vel protuendo innocentem, vel pro reo accusando.

CONSECTARIUM X. In quo explicatur, quandonam prædicti teneantur restituere. Prædicti omnes peccant; quia sunt causa peccati: sed aliquando non solum peccant, sed insuper tenentur interdum ad restitutionem, scilicet, quoties peccantes contra justitiam fuerint causa efficax damni illati proximo circa ejus bona, vel corporis, vel animæ, vel fortunæ, vel honoris; quia, ut dicetur, ubi de restitutione, duo requiruntur ad inducendam obligationem restituendi.

Primum est damnum illatum proximo, secundum violatio justitiae: & ita si prædicti cooperatores peccaverint contra virtutem diversam à justitia, excusantur à restitutione; & si peccaverint contra justitiam, &

damnum revera ex eorum peccato secutum non fuerit, excusantur pariter à restitutione.

Sic qui ex solo defectu charitatis, aut sileat, aut non obstat, dum sit damnum proximo, aut non revelat, dum factum est; peccat quidem, sed non tenetur restituere: quia non peccavit contra justitiam. Si vero damnum illud teneretur impedire, vel ex officio, vel ex conventione, obligatio restituendi incumberet; quia peccasset contra justitiam.

Sic qui peccat contra justitiam, sed non est causa efficax damni, eximitur pariter à restitutione, v. g. qui jubet, aut consulit; sed jussum retractat, & consilium corrigit; qui consentit, adulatur, participat damno, quod seclusa ejus consentione, adulazione, & ope, æquè contingeret: quia non est causa efficax damni. De hoc fusè agemus, ubi de restitutione.

CAPUT V.

De modo, secundum quem lex debet observari.

ARTICULUS I.

De requisitis ad observantiam legis.

PROPOSITIO unica. Lex observanda est juxta rationalem intentionem Legislatoris; ita ut res præcepta exerceatur à libertate, honestate, intentione, quæ requiritur, ut actus præceptus sit in ea specie virtutis, quæ præcipitur.

Probatur 1^o. Script. *Juste quod justum est,*

persequeris. Deutero. cap. 16. v. 20. *Qui cuncti
todiunt iustam iustitiam, justificabuntur.* Sap. cap 6.
v. 11. Ergo, ut observetur lex, res præcep-
ta debet fieri eâ libertate, honestate, justi-
tiâ. & intentione, quæ requiritur, ut actus
præceptus sit in ea specie virtutis, quæ præ-
cipitur; alias non fieret justitia, nec observan-
tem justificaret.

2º. Ex Aug. *Quidquid fit ab homine, & non
propter hoc fit, propter quod fieri debere vera
sapientia præcipit, eius officio videatur bonum,
ipso non recto fine peccatum est.* lib. 3.
contra Julia cap. 4. Ergo lex debet observa-
ri juxta intentionem rationalem Legislatoris;
alias qui eam exterius observat, non
excusat à peccato.

3º. Ratione. Lex ligat juxta rationabilem
intentionem Legislatoris, quâ aliquis actus
virtuosus præcipitur; quia lex eo tendit, ut
reddat homines virtuosos: ergo ut observe-
tur lex, res præcepta debet fieri eâ liberta-
te, honestate, justitiâ & intentione, ut actus
præceptus sit in specie virtutis, quæ im-
peratur.

Consecaria hujus Doctrinæ

CONSECTARIUM I. Ad satisfacien-
dum legi, qualiscumque sit, necesse est, ut
substantia rei præceptæ fiat, nou phisicè so-
lum, sed moraliter, non coactè, sed liberè,
non derisorè, sed seriò, non cum rebellio-
ne, sed cum subjectione animi ad legem;
quia quilibet Legislator omnes illas condi-
tiones exigit, ut potè necessarias ad hoc, ut

actio imperata sit virtuosa & honesta : Intentio legis , inquit D. Thom. est , ut homines ad virtutem inducantur ; ad virtutem autem non sufficit , ut actus virtutis qualiter cumque fiat ; sed oportet , ut homo sciens & volens propter debitum finem operetur .

Sic legem non observaret , qui sacerret rem præceptam sine advertentiâ ; quia faceret rem phisicè , & non moraliter : & ita qui servaret votum , honoraret parentes , audiret missam , qui actum virtuosum præceptum à jure , vel Ecclesiastico , vel civili , eliceret , ebrius , dormiens , non sui compos , nec attendens moraliter ad id , quod agit , non satisfaceret præcepto ; quia sicuti inadvertentia involuntaria excusat à violatione præcepti , ita impedit observantiam præcepti ; ideo si agnoscatur culpa in legem admis- sa urgente adhuc tempore præcepti , iteranda sunt , quæ fine debitis circumstantiis fue- runt exercita ; si vero tempus efluxerit , pœnitendum .

Sic legem non observaret , rem præcep- tam faciendo violenter , coactè , cum abso- luto renisu voluntatis contra legem ; quia faceret rem tantum phisicè , & non moraliter : libertas enim est radix moralitatis : & ita qui invitus observat præcepta , vel natu- ralia , vel positiva , non satisfacit legi , v.g. qui invitus servat Decalogum , invitus ser- vat legem Ecclesiasticam vel civilem , non satisfacit præcepto ; quia in illis casibus de- est libertas ; quæ sicut necessaria est ad pec- catum , ita ad observantiam legis ; juxta li- iud Pauli : Non ex tristitia , bilarecm enim da-

tem dicit Deus. 2. ad Corinth. cap. 9.
v. 7. & Aug. Si forinsecus ea, quæ Deus iubet, manibus fiant, & in corde non fiant; nemo est tam insulsus, qui præcepta arbitretur implere. Quæst. 54. Deuter.

Sic legem non observaret, qui faceret rem præceptam derisorie; quia non faceret rem moraliter: moralitas quippe præscripta per legem exigit rem fieri seriò, & non mīmē; & ita qui deridendo vacaret rebus divinis die festo, honoraret parentes, non satisfaceret Decalogo; qui indignè recipere Sacramento, v. g. Pœnitentiam, Eucharistiam; qui irrideus missam audiret, non satisfaceret præcepto Ecclesiæ; quia Legislator vult, non ut eum irrideas, sed ut ei morem geras: unde damnatae sunt sequentes propositiones: *Qui facit confessionem voluntariè nullam, sati facit præcepto Ecclesiæ. Præceptio communionis annue sati facit per sacrilegam Domini mandationem.*

Sic legem non observaret, qui faceret extenuis rem præceptam cum intentione formali & explicita non satisfaciendi legi; quia primo requiritur intentio saltem interpretativa servandi legem. Secundo intentio illa, ut potè directè opposita legi, est quædam rebellio contra legem, & proinde peccatum; quia Legislator vult subditum subesse legi, & non ei resistere. Ideò dicit Scriptura; *Respxit Dominus ad Abel & ad munera ejus*, Genes. cap. 4. v. 4. *Quia Deus prius respicit intentionem dantis, quam ejus munera.* Quippe, ut ait Gregorius, lib. 22. moralium: *Dantis corde, id quod datur, accipitur.*

& Hieronimus Epist. 26. ad Pammachium:
*Si offeramus Christo opes cum anima nostra,
libenter suscipiet; si autem quæ foris sunt, Deo;
quæ intus sunt, diabolo demus, non est æqua
partitio.*

Notandum tamen, quod in prædictis casibus, qui phisicè tantum, qui violenter, qui coactè, qui derisorie tributum solvisset, aut peccunias dedisset, ut restitutioni fatis saceret, peccasset quidem; quia non adimplesset legem, ut debet, sed non teneretur novas pecunias solvere; quia ad solutionem tributi, vel solutionem ablati, sufficit quod detur tributum, restituatur ablatum, quomodocumque fiat; sed pœnitentia oportet, quod non habuit intentionem, quam debebat habere.

CONSECTARIUM II. Ad satisfacendum legi, qualiscumque sit, actus virtuosus debet fieri motivo virtutis, quæ præcipitur; quia motivum virtutis est de intrinseca ratione illius, idèò ait Aug. *Cum itaque facit homo aliquid; ubi peccare non videatur; si non propter hoc facit, propter quod facere debet. peccare convincitur: quæ tu non attendens, fines ab offiiciis separasti, & virtutes veras fine finibus appetendas esse dixisti.* lib. 3. in Julian cap. 4.

Sic cum præcipitur actus virtutis Theologicæ, debet fieri motivo virtutis Theologicæ, v. g. actus fidei motivo fidei, actus spei motivo spei, actus charitatis motivo charitatis.

Sic cum præcipitur actus virtutis moralis, actus ille debet elici motivo illius virtutis,

quæ præcipitur, v. g. actus prudentiæ motivo prudentiæ, actus justitiæ motivo justitiæ, actus fortitudinis motivo fortitudinis, actus temperantiæ motivo temperantiæ; quia motivum virtutis moralis est de intrinseca ratione virtutis moralis.

C O N S E C T A R I U M III. Ad satisfacendum legi, necesse est, ut res præcepta, & omnia, quæ sunt de essentia rei præceptæ, fiant nedum quoad opus externum, uti sit ab hypocritis, sed quoad opus internum, uti decet fieri à christianis.

Primò illud certum est quoad præcepta naturalia & positiva juris divini, Deus enim externam Judeorum obedientiam repudiat, & internam obedientiam requirit his verbis Isaiae. 1^o. *Populus hic labiis me honorat, cor autem illorum longe est à me.* Matth. 15. cap. v. 8. & Ecclesiasticus cap. 17. v. 7. *Posuit oculum suum super corda eorum.... Spiritus timentium Deum quæritur, & in respectu illius benedicetur.* cap. 34. v. 14. & ubique Scripturarum dicitur: *Deus intuetur cor.* 1. Reg. cap. 17. v. 7.

Illud pariter certum est, quoad præcepta Ecclesiastica; Ecclesia quippe nihil præcipit, nisi in ordine ad cultum Dei, quem decet esse internum & non externum. *Spiritus enim est Deus...* *Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate.* Joan. cap. 4. v. 24. Deinde Ecclesiæ prælatis dictum est in persona Apostolorum: *Qui vos audit, me audit;* *qui vos spernit, me spernit.* Luc. cap. 10. v. 16. & rursus: *Sicut me misit pater, & ego mitto vos.* Cum ergo Christus internum & non ex-

296 MORALIS CHRISTIANA
ternum solum cultum præcipiat , Ecclesia pa-
riter & internos & externos actus potest præ-
cipere ; quamvis non soleat nisi de actibus ex-
ternis contentiosè judicare , juxta illud vul-
gare dictum : *Ecclesia non judicat de internis.*

Illud pariter constare videtur quoad legem
civilem ; quia Apostolus jubet Christianos
superioribus etiam discolis subesse interno
affectu , & non solum exteriori habitu : *Non*
tantum propter iram , sed etiam propter con-
scientiam , ad Rom. cap. 131. v. 5. Quando
honesta præcipiunt ; quia licet , ut videtur
docere D. Thomas I. 2. 91. art. 4. Solus Deus
actus internos directè præcipere valeat ; quia
solus intuetur cor : tamen homines possunt
indirectè actus internos præcipere , quatenus
interior actus est necessarius , ut actus exte-
rior sit non solum phisicus , sed liber & mo-
ralis .

Sic legem naturalem non observaret , qui
solum exterius opera per Decalogum præ-
cepta perageret , & interius iisdem operi-
bus contradiceret , v. g. Deum exterius ado-
raret , nomen ejus veneraretur . dies festos
observaret , parentes honoraret , adulteria ,
furta , homicidia , falsa testimonia effugeret ;
interius verò operibus à se palam elicitis dis-
sentiret : quia lex naturalis obedientiam , non
externam tantum , sed internam exigit ; quia
lex naturalis est lex conscientiæ , quæ in-
terna est , & internos cordis motus dirigit:
Idèo dicit Deus in Scriptura : *Præbe fili mihi*
cor tuum mihi. Prover. cap. 23. v. 26.

Sic legem Evangelicam non observaret ,
qui exterius solum & non interius præcepta

Evangelica custodiret, v. g. Sacra menta ex-
tero solum ritu, & non interno cultu conser-
vet, vel reciperet.

Sic legem Ecclesiasticam non observaret,
qui solum exterius opera per Ecclesiam præ-
cepta perageret. & iisdem operibus non con-
sentiret, qui v. g. audiret missam sine atten-
tione & affectu, Sacra menta sine debit is dis-
positionibus reciperet, dies festos sine ullo
interno devotionis exercitio observaret, con-
tentus solo operis exterioris exercitio.

Sic legem civilem non observare videtur,
qui solum exterius opera honesta per jus ci-
vile præscripta perageret, si iisdem operibus
honestis interius contradiceret, sic enim lo-
quitur Scriptura: *Non ad oculum servientes,*
quasi hominibus placentes, ad Eph. cap. 6. v 6.
Aug. propositione 74. Epist ad Rom. Addit
non solum propter iram, sed propter cons-
cientiam; id est, non solum ad iram evaden-
dam, quod potest simulate fieri; sed ut in
conscientia tua certus sis illius dilectione te
facere, cui subditus fueris jussu Domini.

CONSECTARIUM IV. Nulli legi aut
præcepto satisfieri potest per actum morali-
ter vitiosum; quia legi non satisfit, nisi
quando observatur id, quod præcipit Legis-
lator. Prudens autem Legislator præcipit,
non malum, sed bonum, virtutem, non vi-
tium; jubet rem fieri bene, vetat rem fieri
male; adeoque prohibet iniquam illam & so-
lum externam legis observantiam, quam re-
jicit Isaías cap. 10. v. 13. *Ne feratis ultra sa-*
cificium frustra, incensum abominatio est mihi.
Et damnati sunt, qui dicunt per sacrilegiam.

confessionem & communionem satisferi præcepto Ecclesiæ.

Propter Sic qui facit externum opus præscriptum à lege , vitiando illud aliqua circumstantia moraliter culpabili , non satisfacit legi ; quia lex præcipit opus bonum , ex Dionisio autem : *Bonum ex integra causa , malum ex quo cumque defectu consurgit* , & ita juxta D. Thom. Qui adit ad Ecclesiam , & divinum officium celebrat propter distributiones , tamquam propter finem principaliter intentum , simoniam committit ; & proinde non satisfacit præcepto : *Si enim hujusmodi distributiones recipit , quasi finem operis principaliter intentum , simoniam committit*. Quodlibeto 8. art. 11. juxta Antoninum : *Non satisfacit præcepto audiendi missam , qui Ecclesiam adit principaliter ad videndum , aut alloquendum aliquam fœminam , aut ob aliquod aliud quodvis illicitum motivum , si in eo perseveret*. Juxta omnes non satisfacit præcepto orationis , qui voluntariè labiis tantum , & non mente orat ; quia attentio & devotio est de essentia orationis.

Sic qui vel ex pœnitentia sibi injuncta à confessario , vel ex voto , quod elicuit , obligatur ad aliquod opus sanctum , v. g. ad orationem , ad eleemosinam , ad jejunium , non satisfacit suæ obligationi , si eadem opera viuet aliquà circumstantiâ moraliter culpabili , v. g. si illud faciat motivo vanæ gloriæ , quæ sit mortale peccatum ; quia prava circumstantia impedit , ne opus sit sanctum.

Et D. Thom. docet quod : *Actus interior , in peccato factus , quia totaliter transit , nul-*

Itemodo vivificatur, sed oportet, ut iteretur. Actus vero externus, quale est jejunium & eleemosina, non est iterandus, licet in peccato factus; quia in jejunio manet corporis debilitatio, & ex eleemosina substantiadiminutio: & quantum ad hoc quod de eis manet, per pœnitentiam Deo accepta sunt.

Sic qui vult gratiam Jubilei & indulgentiam consequi, nihil consequitur, si opera injuncta eliciat, ea vitiando circumstantiam mortaliter culpabili: quia sicut peccatum mortale impedit, ne Sacraenta producant gratiam; ita impedit, ne indulgentiae remittant pœnam.

C O N S E C T A R I U M V. Ut lex observetur, non est necesse, quod res præcepta observetur cum ea perfectione, quâ observatur in cœlis à sanctis, nec cum ea perfectione, quâ observata fuisset in statu innocentia, si perseverasset, nec ea perfectione, ut excludat omnem defectum venialem; sed sufficit, ut nihil fiat contra ordinem virtutis præceptæ; quia modus operandi proprius beatis est impossibilis viatoribus; modus operandi naturæ innocentis est impossibilis naturæ corruptæ; modus operandi immunis ab omni defectu veniali collectivè sumpto, est impossibilis sæcluso privilegio. Id videtur docere D. Thom. his verbis: *Præceptum impletur perfectè, quando pervenitur ad finem, quem intendit præcipiens. Impletur autem, sed imperfectè, quando, et si non pertingat ad finem præcipientis, non tamen receditur ab ordine ad finem, v. g. miles perfectè implet præceptum ducis, qui nedium pugnat; quod jubet prim-*

ceps, sed etiam pugnando hostem vincit; quod intendit princeps: imperfectè vero implet, si nil agat contra disciplinam militarem, licet non victoriam referat. D, Thom. 2. 2. quæst. 44. art. 6. in corp.

Sic præceptum prudentiæ, justitiæ, fortitudinis, temperantiæ, fidei, & charitatis observatur, si nihil agatur contra ordinem virtutis præceptæ. Peccatum autem veniale non est contra ordinem, sed solum præter ordinem virtutis.

Sic qui vult gratiam Jubilei & indulgentiarum consequi, eam non quidem integrè, sed aliquatenus consequitur, si opera injuncta eliciat, ea vitiando circumstantiam venialiter culpabili; quia sicuti peccatum veniale non tollit totum effectum Sacramentorum, sed impedit integrum: ita non tollit totum effectum indulgentiarum, sed impedit integrum.

ARTICULUS II.

De his, quæ non requiruntur ad observantiam legis.

PROPOSITIO unica. Ad satisfaciendum speciali præcepto, quod datur de actu alicujus virtutis, non est necesse in rigore, quod actus imperatus fiat, vel habitu virtutis præceptæ, vel ex motivo alterius virtutis; sed sufficit, quod fiat motivo virtutis; quæ præcipitur, v. g. ut satisfiat præcepto jejunii, non est necesse, quod jejunium procedat ex habitu temperantiæ vel fiat

fiat in charitate , vel motivo charitatis ; sed sufficit , quod fiat speciali motivo jejunii , modo non excludatur motivum generale charitatis .

Probatur 1^o. Autoritate D. Thom. Dicendum , inquit , quod sub præcepto , quod datur de actu alicujus virtutis , non cadit modus , quem habet ille actus ex alia superiori virtute , sed tamen sub præcepto modus ille , qui pertinet ad rationem propriæ virtutis , & talis modus significatur , cum dicitur : diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo . Et 1. 2. quæst. 100 art. 9 ad 1. Modus , inquit , faciendi actum justitiae , qui cadit sub præcepto , est , ut fiat aliquid secundam ordinem juris , non autem quod fiat ex habitu justitiae .

2^o. Ratione . Si requireretur , quod actus præceptus fieret ex habitu virtutis præceptæ , numquam homo posset acquirere habitus naturales , nec se disponere ad habitus supernaturales ; quia teneretur semper habere habitus : utrumque falsum est ; quia secundum Philosophos , habitus naturales acquituntur per actus , & juxta Theologos adulati disponunt se ad habitus infusos . Si requiratur pariter quod actus virtutis præceptæ fiat , vel in habitu charitatis , vel ex motivo charitatis , omnia , quæ sunt ante justificationem , vel incep tam , vel completam , essent peccata ; quia essent sine charitate iniciati ; quod damnatur in Tridentino ses. 6. Can. 51. Si quis dixerit opera omnia , quæ ante justificationem sunt , quacumque ratione facta sint , verè esse peccata , anathema sit .

3^o. Ratione D. Thom. Omnis virtus sp.

Tome I.

Cc

cialis inferior charitate habet duplēm finem, alterum intrinsecum, alterum extrinsecum, finis intrinsecus est, quod actus virtutis cadat supra debitam materiam, & vestiatur debitis circumstantiis, ut loquitur D. Thom. v. g. quod fiat à sciente; quod enim aliquis facit ignorans, per accidens facit: quod fiat à volente & eligente; quod enim aliquis facit nolens & coactus, potius in eo fit, quam ab eo fiat. Finis extrinsecus est, quod fiat, v. g. ex habitu virtuoso firmiter radicato, quod fiat vel in habitu, vel ex habitu superioris virtutis; nimischatitatis. Res patet exemplo jejunii. Finis intrinsecus jejunii est, quod fiat à sciente & volente exercere actum abstinentiae. Finis extrinsecus est, quod fiat ex firme habitu abstinentiae, vel ab homine existente in charitate, vel agente motivo charitatis. Finis intrinsecus virtutis est de præcepto; quia est de intrinseca ratione virtutis. Finis extrinsecus non est de præcepto; quia est extra rationem virtutis.

Consectaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Qui est sine habitu virtutis, potest satisfacere præcepto, quo jabetur, ut exerceatur actus virtutis; quia habitus virtutis non cadit sub præcepto.

Sic præcepto fidei, spei, charitatis, religionis, justitiae, temperantiae fortitudinis potest satisficeri etiam ab eo, qui caret hujusmodi habitibus, modo earum virtutum actus eliciat. Ita firmitas, inquit D. Thom.

propriè pertinet ad habitum , ut scilicet alia quis ex habitu radicato operetur ; & quantum ad hoc , modus virtutis non cadit sub præcepto 1. 2. quæst. 100. art. 9.

C O N S E C T A R I U M II. Qui est extra habitum charitatis , potest satisfacere præcepto , quo jubetur , ut exerceatur actus distinctus à charitate , v. g. actus fidei , spei , religionis , justitiæ , fortitudinis , & temperantiae ; quia ut actus sit bonus , non est necesse , quod fiat ab homine actualiter justificatio : aliás , ut dictum est , opera omnia , quæ ante justificationem sunt , essent verè peccata , quod damnatur in Trid. ses. 6. can. 7. Item damnatur hæc propositio Baji. Non est vera legis obedientia , quæ fit sine charitate . P. 16.

C O N S E C T A R I U M III. Qui non agit motivo charitatis , modo agat motivo virtutis præceptæ , potest satisfacere præcepto , quo jubetur , ut exerceatur actus fidei , spei , religionis , actus justitiæ , fortitudinis & temperantiae : quia non semper præcipitur , ut agamus motivo charitatis : In hoc præcepto , inquit D. Thom: honora patrem , non includitur , quod honoretur pater ex charitate , sed solum quod honoretur pater: unde qui honorat patrem , licet non habeat charitatem , non efficitur transgressor hujus præcepti ; et si sit transgressor præcepti , quod est de actu charitatis , propter quam transgressionem meretur pœnam : Hypotetice quod pro tunc urgeat , & ad 2. Cum ista duo præcepta honora parentes , diliges Dominum , sint affirmativa , non obligantia ad semper , possunt pro diversis tempori-

bns obligare: & ita potest contingere, quod alius implens præceptum de honoratione parentum, non tunc transgrediatur præceptum de omissione modi charitatis ... Quod de præcepto honorandi parentes dicit D. Thom. ad alia præcepta potest proportionaliter applicari.

CONSECTARIUM IV. Qui non agit motivo charitatis, non potest satisfacere præcepto exercendi actus charitatis; quia motivum charitatis cadit sub præcepto charitatis. *Actus charitatis, inquit D. Thom. I. 2. quæst. 100. art. 10. Dupliciter considerari potest. Uno modo secundum quod est quidem actus per se, & hoc modo cadit sub præcepto legis, quod de hoc specialiter datur; scilicet, diliges Dominum Deum tuum, diliges proximum tuum: & quantum ad hoc primi Autores verum dixerunt, nimirum modum, charitatis esse sub præcepto. Alio modo potest considerari actus charitatis, secundum quod est modulus actuum aliarum virtutum... Et hoc modo verum est .. quod modulus charitatis non cadit sub præcepto.*

C A P U T VI.

Quomodo Lex sit interpretanda.

Interpretatio est explicatio legis, cum non clare appareat rationalis mens Legislatoris.

ARTICULUS I.

Quandonam Lex sit interpretanda:

PROPOSITIO I. Tunc solum interpretatione utendum est, cum ex verbis legis non clare apparet rationalis intentio Legislatoris; minime vero, si clare apparet.

Probatur 1^o. Scripturā: *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo, custodite mandata Domini Dei vestri, quae ego præcipio vobis.* Deuter. cap. 4.

2^o. Ex D. Thom. *Interpretatio locum habet in dubiis, in quibus non licet, absque determinatione principis, à verbis legis recedere, sed in manifestis non est opus interpretatione, sed executione.* 2. 2. q. 120. a. 1. ad 3.

3^o. Ratione. Interpretatio eo solum sine adhibenda est, ut patet intentio Legislatoris; ergo cum ex verbis Legislatoris, aut aliquius gerentis vicem legis, clare apparet, non est adhibenda interpretatio.

Consectaria hujus Doctrinae:

CONSECTARIUM I. Quando lex ita clara est, ut nullum relinquat dubium circa rationalem mentem Legislatoris, verba legis debent sumi: ut sonant, ita Aug. lib. 2. contra duas Epistol. Pelag. *Quae ad pietatem bonosque mores pertinent, non ad aliquam significacionem ultra interpretatione sunt referenda; sed ut dicta sunt, facienda sunt.* Sic verba legis divinæ accipienda sunt, ut Ecclesia

306 MORALIS CHRISTIANA.
proponit, & non ut cupiditas suggerit.

CONSECTARIUM II. Quando obscura verba legis fuere exposita per Legislatorem, observanda sunt secundum interpretationem Legislatoris; quia interpretatio Legislatoris, facta imperativè, vim habet legis.

Sic matrimonium debet esse indissoluble, & unius cum una; quia legem matrimonii ita Christus interpretatus est.

CONSECTARIUM III. Quando obscura verba legis fuere explicata per consuetudinem legitimam, sunt observanda secundum eandem consuetudinem; quia consuetudo legitima vim habet legis.

Sic verba legis, quâ Apostoli prohibuerunt usum sanguinis & suffocati, observata sunt secundum consuetudinem Ecclesie, scilicet, quandiu metus fuit, ne usus sanguinis & suffocati esset scandalo Judæis recenter convertis.

CONSECTARIUM IV. Quando obscura verba legis fuere exposita per sententiam iudicam; sunt ab eo, qui subditur judici, observanda juxta sententiam judicis; quia sententia judicis vim habet legis.

CONSECTARIUM V. Quando obscura verba legis non fuerunt exposita, nec per Legislatorem, nec per consuetudinem, nec per iudicem; si dubium moram patiatur, subditus legi debet superiorem consulere; quia quantum fieri potest, interpretatio legis debet fieri ab eo, à quo processit lex: Interpretatio juris ad eum pertinet, ad quem juris constitutio. cap. inter alia, de sententia excommunic.

Si dubium moram non patiatur, & ad superiorem recurri non possit, tunc licet legem interpretari.

ARTICULUS II.

Quomodo oporteat legem interpretari.

PROPOSITIO I. Non licet legem interpretari secundum privatos affectus, sed solum juxta æquiorem justi Legislatoris intentionem.

Probatur 1°. Scripturâ: *Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est speranib[us] in se.* Idem de lege dici potest. 1°. *Non addes quidquam verbis illius, ne arguaris, inveniarisque mendax.* Prover cap. 30. v. 6. Ergo lex interpretanda est, non juxta privatum affectum, sed æquiorum justi Legislatoris intentionem 2°. *Non facietis singuli, quod rectum tibi videtur Deut. cap. 12. Sed quod præcipio tibi, hoc tanum facio, nec addas quidquam, nec minuas:* Ergo lex non interpretanda est ex affectu proprio, sed juxta intentionem Legislatoris.

2°. Ex patribus. 1°. Ex Tertuliano in lib. de præscript. cap. 6. ubi sic loquitur: *Nobis vero nihil ex nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere, quod aliusquis de arbitrio suo inducerit: Apostolos Domini habemus autores, qui nec ipsi quidquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt; sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus assignaverunt.* Eandem veritatem confirmat Vincentius Liricensis in suo commonitorio his verbis: *a nouiis ergo aliquid Christianis Catholi-*

cis, præter id quod acceperunt, numquam licuit, nusquam licet, numquam licebit: ergo, &c.

3°. Rationale. Si liceret cuilibet legem secundum privatos affectus interpretari, nulla esset lex, quæ privatis interpretationibus non posset eludi. Inde est, quod Scripturæ teste Michas interpretando legem juxta suum affectum, idololatriam in Israël invexit: *In diebus illis, inquit textus Sacer, non erat Rex in Israël, sed unusquisque, quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.* Jūdicum cap. 17. v. 16: Ergo lex interpretanda est, non ex affectu proprio, sed juxta rationalem intentionem Legislatoris.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Lex generalis quoad personas generaliter est interpretanda, & quæ omnes respicit, non est ad aliquos solum restringenda; ibi enim dici potest, quod Christus dicebat Apostolis: *Quod vobis dico, omnibus dico.* Et quod ait Bernardus lib. 2 de considerat. *Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.*

Sic lex naturalis, ut potè generalis, ligat omnes homines & in singulis casibus; nisi Deus autor legis, vel per se, vel per Ecclesiām exemptionem doceat. Ideò de quolibet Decalogi præcepto dici potest, quod Aug. dicit de homicidio: homicidium omnibus interdictum, his exceptis, quos vel justitia spezialiter occidere jubet. lib. 1. de civit. cap. 23.

Sic lex positiva divina , ut potè generalis , ligat omnes homines Deo subditos , nisi Deus autor legis eos dispenset ; & ita nullus est casus , in quo quis eximatur ab observatione Evangelii , vel in quo liceat Evangelium violare , de quo ita Tertuli. lib. 2. de spectac. *Numquam & nusquam excusatur , quod Deus damnat*

Sic lex positiva Ecclesiastica , quando est generalis , obligat omnes & singulos Christianos in singulis casibus , nisi ipsam ex Ecclesia dispensationem largiatur : *Sciant universi Sacraissimos Canones exactè & ab omnibus indistinctè observandos esse.* Trident. ses. 25. cap. 18.

Sic lex positiva civilis , quando est generalis , obligat omnes sibi subditos , & in singulis casibus , nisi Legislator ipsem sit exceptionem adhibeat ; idèò dicitur L. dissentientis Cod. de repud. quod lex non dicit , non est ab homine præsumendum.

C O N S E C T A R I U M II. Lex generalis quoad objectum ex se prohibitum generaliter est interpretanda , nec excusandus est , qui rem suaptè naturā prohibitam facit , quoquo motivo eam faciat. Si enim quod est ab intrinseco malum , fieret ex intentione agentis licitum , nullum esset crimen adeò nefarium , quod excusari non posset : nulla est enim actio adeò mala , quia patrari non possit ex intentione boni finis. Incestus filiarum Loth fuit ex intentione boni finis. Gen. 19. v. 32. Scilicet , ut in terra servarent ex patre suo semen. Cædes Christianorum in honorem Dei sæpe patratur. Joas. 16. v. 2. Ergo.

CONSECTARIUM III. Lex in perse
malis est generaliter interpretanda, nec quo-
vis motivo violanda.

Sic cum generaliter vetatur, ne quis sibi
viam paret ad beneficium per peccunias, il-
lud ita prohibetur, ut nullo modo, neque
per se ipsum, neque per alios dare liceat
peccunias, quibus ad beneficium pertingatur.
Et cum generaliter vetatur omne pactum,
in quo temporale datur pro spirituali, veta-
tur, quocumque motivo detur temporale ex
pacto, sive detur tamquam pretium, sive
detur tamquam compensatio.

Sic cum prohibetur curiosa librorum pro-
hibitorum lectio, si nequeas illos per te ip-
sum legere sine periculo subversionis, non
potes alios legentes audire, quandiu manet
idem periculum.

Sic cum prohibetur aliquid ultra sortem
exigere ex vi mutui; prohibetur itidem,
ut illud extorqueas debitoribus quocumque
motivo, sive exigas motivo gratitudinis, si-
ve motivo benevolentiae.

Sic cum generaliter prohibetur homici-
dium injustum, prohibetur quocumque mo-
tivo injusto illud facias, sive ad sumendam
vindictam, sive ad vitandam infamiam, sive
ad ostendendas vires corporis.

Sic cum Ecclesia generaliter censuris per-
cutit omnes fiscarios, eosque privat alta-
ris profugio, censuræ illæ quoscumque fe-
riunt fiscarios, quocumque motivo homici-
diuin perpetrent, sive id faciant conducti pec-
cuniâ, sive id præstent, ut rem gratiam ami-
co exhibeant.

Sic cum excommunicantur Religiosi, qui habitum Religiosum exuunt sine causâ; censuram non effugiet, qui habitum monachalem dimittit, ut liberius furetur, forniscetur, &c.

C O N S E C T A R I U M IV. Lex naturalis interpretenda est non juxta rationem cœcumenti acceptam ab Adamo generante, sed juxta illuminationem fidei acceptam à Christo regenerante; quia concupiscentia, cum qua nascimur, à peccato est, & ad peccatum inclinat; & proinde non potest esse certa regula legem naturalem interpretandi: sed oportet eam regulam non in concupiscentia, sed in fide querere.

Sic in interpretanda lege naturali uti quidem possumus autoritate Aristotelis, Platoni, & aliorum Philosophorum, non tamquam regulâ infallibili, sed tamquam regulâ, quæ fidem non faciat, nisi fuerit per revelationem confirmata; ita fecit D^r. Thom. morali Aristotelis utitur, sed eam emendando per principia fidei.

C O N S E C T A R I U M V. Lex positiva divina non aliter interpretanda est, quam per universalem Ecclesiæ praxim, & per unanimem Sanctorum Patrum consensum; quia lex positiva divina, utpote divinitus revelata, continetur, vel in Scriptura, vel in traditione, ubi omnis continetur revelatio. Scriptura autem & traditio non aliter expllicantur, quam per praxim universalem Ecclesiæ, & per unanimem Sanctorum Patrum consensum.

C O N S E C T A R I U M VI. Lex positiva ci-

vilis & lex positiva Ecclesiastica interpretandæ sunt juxta glossam, quæ est in corpore utriusque juris; quia hæc glossa continet interpretationem Doctorum, qui magis iure quoque jure claruerunt.

ARTICULUS III.

Quæ consuetudines observandæ, quæ tollenda, quid rigoris habeat consuetudo legitima in lege interpretanda.

Consuetudo in genere est continuata frequentatio actuum humanorum.

Consuetudo alia est bona, alia est mala, alia indifferens.

Consuetudo bona ea est, quæ nulli legi repugnat, & ad bonum dedit; talis est, v. g. observantia quadragesimæ: Nam ut quadragesima illi dies ante pascha observentur, Ecclesia consuetudo roboravit, ait Aug. Epist. 19.

Consuetudo mala est ea, quæ alicui legi repugnat; talis est v. g. consuetudo contra fidem, vel bonos mores.

Consuetudo indifferens est ea, quæ nulli quidem legi repugnat; sed quæ non ad sanctitatem dedit. Tales sunt vanæ consuetudines populorum.

P R O P O S I T I O I. Consuetudo bona est observanda.

Probatur 1° Scripturâ. *Quod bonum est, tenete.* I. ad Thess. cap. 5. v. 21. Ergo legitima consuetudo est observanda.

2°. Ex Basilio Epist. ad Diodorum, ubi docet

docet non licere demortuæ uxoris sororem matrimonio ducere propter morem, qui vim legis habet: Ergo bona consuetudo vim habet legis: ergo est observanda.

3^o. Ratione. Certum est, quod in civilibus rebus, & in Ecclesiasticis, aliqua ordine & canone tenentur, aliqua vero consuetudine firmata sunt, ut dicitur in proemio Concilii Africani: Ergo cum jus utrumque scilicet civile & canonicum constet ex lege & consuetudine, sicut legem justam observari oportet, ita & consuetudinem.

Consecaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Observanda sunt ab omnibus fidelibus universales Ecclesiae consuetudines, quarum origo non reperitur; quia ex Aug Epist. 18. *Illa, quæ non scripta, sed tradita custodimus toto terrarum orbe,* datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis conciliis, quorum est sa'uberrima auctoritas, commendata, atque statuta retineri. Hujusmodi sunt celebratio festorum Christi; qualia sunt, Nativitas, Circumcisio, Passio, Resurrectio, observantia quadragesimæ, observantia impedimentorum matrimonialium, & alia istius generis.

C O N S E C T A R I U M II. Observandæ sunt à quolibet privato particulares suæ Ecclesiae consuetudines: *Quod enim, inquit Aug. Epist 117. Neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, societate servandum est . . . Hujusmodi sunt*

CONSECTARIUM III. Consuetudo
sancta, sive olim fuerit instituta, sive jam
de novo proponatur instituenda, si non per-
turbet novitate, amplectenda est : In his,
inquit Aug. Epist. 119. Saluberrima regula
tenenda est ; ut quæ non sunt contra fidem, ne-
que contra bonos mores, & habent aliquid ad
exhortationem vite melioris, ubicumque insi-
tui videmus, vel instituta cognoscimus, non
solum non improbemus, sed etiam laudando &
imitando sectemur ; si aliquorum infirmitas
non ita impedit, ut amplius detrimentum sit.
Idem docet Gregorius Epist. ultima ad Aug.
Angliae Apostolum, ubi sic habet : Si aliquid
invenisti, sive in Romana, sive in Gallicana
Ecclesia, quod plus omnipotenti Deo placere
possit, sollicitè eligas, & in Anglorum Eccle-
sia, quæ adhuc in fide nova est, institutione
præcipuâ, quæ de multis Ecclesiis colligere po-
tuisti, infundas.

Hinc pater erectiones confraternitatum,
v. g. Sacramenti Eucharistiae, Rosarii, Sca-
pularii, Angelorum, &c. Non esse culpan-
das, sed si approbante Episcopo erigantur,
maxime laudandas, & adhortandos esse fide-
les ad hujusmodi pietatis exercitia ; modo
tamen id fiat sine præjudicio munerum, &
officiorum Parochiæ persolvendorum.

Monet tamen prudenter Aug. Epist. 119.
ut hujusmodi pietatis exercitiis numquam
nobis adimatur libertas Evangelica, nec ha-
beamus ut necessaria, quæ si nt indifferen-
tia, neque ut Sacra menta Christi, que pia

sunt tantum exercitia à piis hominibus ex-cogitata : *Quod autem instituitur, inquit, præter consuetudinem, ut quasi observatio Sacramenti sit, approbare non possum.*

PROPOSITIO II. Consuetudo mala, ex quocumque capite sit vitiosa, tollenda est, & nullatenus observanda.

Probatur 1º. Scripturâ. Advertendum est, inquiunt Patres, quod Dominus dicit: *Ego sum veritas, & vita; nusquam verò dixit: ego sum consuetudo: ergo consuetudo non est observanda, nisi quatenus veritati concordat, ceu quatenus est bona.*

Probatur 2º. Ex Aug. lib. 4. de Bap. contra Donatistas cap. 4. *Hoc plane verum, inquit, quod ratio & veritas consuetudini preponenda est.*

3º. Ratione. Consuetudo, quæ observari debet, est jus moribus utentium introduc-tum, quod pro lege habetur, ubi lex deside-ratur, & deficit: etgo quoties consuetudo erit mala, toties erit tollenda.

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Omnis consue-tudo contraria legi, vel naturali, vel divi-næ, est tollenda; quia, ut loquitur D. Thom. *Lex naturalis & divina procedit à voluntate divina; unde non potest mutari per consuetudi-nem procedentem à voluntate hominis, sed so-lum per voluntatem divinam: & inde est, quod nulla consuetudo vim legis obtinere potest con-tra legem divinam, vel naturalem.* I. 2. q. 97. p. 3. ad 1.

Sic nulla consuetudo potest prævalere contra Decalogum ; quia est lex naturalis, nec contra Evangelium ; quia est lex positiva divina.

Sic nullà consuetudine licita possunt fieri, quæ sunt contra virtutes morales, scilicet, prudentiam, justitiam, fortitudinem, & temperantiam ; quia sunt virtutes naturales ; neque quæ sunt contra fidem, spem, & charitatem ; quia sunt virtutes supernaturales.

C O N S E C T A R I U M II. Omnis consuetudo illegitima est tollenda ; sive sit illegitima ex autore, sive ex fine, sive ex objecto, sive ex modo ; quia ex quocumque capite sit vitiosa, prava est : *Decet, inquit Isidorus, lib. 2. Synonim. cap. 16. Ut non consuetudo prava legem, sed lex pravam consuetudinem vineat ; cedat consuetudo autoritati ; pravum usum lex & ratio vincat : animo consuetudinem, & serva legem.*

Sic consuetudo permittens aliquid ex natura sua malum, v. g. consuetudo blasphemandi, furandi, &c. Consuetudo vetans actus natutâ suâ virtuosos, v. g. consuetudo impediens exercitium religionis : hæc, inquam, consuetudo est tollenda ; quia est vitiosa ex objecto.

Sic consuetudo inducta, non per Legisatores, aut per saniorem populi partem, sed per rebellantes subditos, v. g. consuetudo non solvendi decimas, inducta per hæreticos, consuetudo non ferendi habitum Clericalem inducta per inobedientes Clericos ; hæc, inquam, consuetudo est tollenda ; quia est injusta ex Autore.

Sic consuetudo periculosa inclinans , vel semper, vel ut plurimum ad peccandum; qualis est consuetudo vacandi ludis , & tripudiis diebus festis ; qualis est etiam consuetudo ducendi choreas , adeundi comœdias , &c. Hæc , inquam , consuetudo est tollenda ; quia est injusta ex *Fine*.

Sic consuetudo non sufficienter præscripta ; qualis est, v. g. consuetudo, quæ non duravit per decem annos in his , quæ pertinent ad ius civile , & per quadraginta annos in his , quæ pertinent ad ius canonicum , ut patet ex cap. *Audistis*. Extra de præscript.

P R O P O S I T I O III. Consuetudo legitima, quæ nihil habet contrarium civilibus & canonicis institutis , abrogat legem in rebus indifferentibus , quæ sunt solum per legem positivam , vel præceptæ , vel prohibitæ.

Probatur 1° . Ex Jure Canonico. Una ex conditionibus legis est, ut sit secundum patriæ consuetudinem , loco , temporique conveniens. Can. *In istis*. dist. 4. Ergo consuetudo abrogat legem , quandoquidem nulla est lex , quæ in rebus indifferentibus non sit consuetudini conveniens.

2° . Ex glossa in caput *Pastoralis* ; ubi sic habetur : si decretalis aliqua obviet consuetudini regionis , debet prævalere consuetudo.

3° . Ratione. Consuetudo legitima vim habet legis : ergo sicuti lex justa est recta agendi regula ; ita & consuetudo legitima : & proinde potest legem in rebus indifferentibus abrogare ; & ita licet legem interpretari juxta consuetudinem legitimam.

Consecaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Consuetudo legitima multas leges Ecclesiasticas abrogavit, quæ olim vigebant, nunc verò vigorem nullum habent.

Sic Can. *Rogationis* præcipiebatur jejunium & cessatio ab operibus servilibus tribus Rogationum diebus, consuetudine legitimè introductâ id amplius non observatur.

Sic Can. *Pronuntiandum.* Integra Paschalis hebdomada ut festiva celebranda erat: contrarium observatur ob consuetudinem legitimè introductam.

Olim cautum erat, ne baptismus extra casum necessitatis solemniter conferretur, nisi tempore Paschatis; Pentecostes, & in aliquibus Ecclesis tempore Epiphaniæ; jam per usum contrarium consertur omni tempore.

C O N S E C T A R I U M II. Multæ sunt leges civiles, quæ olim vigebant, quæ consuetudine contrariâ jam vigorem nullum habent.

Sic variæ leges, quæ actiones litigantium dirigebant, in Gallia usu contrario non observantur, ubi non alia viget litigandi formula, quam ea, quam Rex suis editis prescripsit.

Sic varias leges, quæ proprietatem thesaurorum inventorum figebant; quæ alluviones dirigebant, usu contrario in Gallia non vigent, sed solum ea edicta, quæ Rex cons-

tinuit. Plura dicemus in synopsi juris civilis

C O N S E C T A R I U M III. Consuetudo legitima ex autore, ex objecto, ex fine, ex modo; potest esse certa & tuta regula interpretandi legem, in his quæ pertinent ad jus præcisè positivum: quia consuetudo legitima abrogat jus positivum.

Sic in his, quæ spectant ad meram disciplinam Ecclesiasticam, attendendum est non ad id, quod antiqui Canones præscribunt; quia vel sunt emendati contrariis Canonibus, vel usu contrario vigorem suum amiserunt: sed attendendum est, quid præsens Ecclesiæ usus exigat.

Sic v.g. in ceremoniis adhiberi consuetis in solemnni Sacramentorum collatione & receptione; non attendendum, quid antiquitus fiebat in Ecclesia, sed quid jam Ecclesia jubeat observari.

Sic pariter in festorum celebratione, non attendendum quid olim fiebat in Ecclesia, sed quid jam Ecclesia fieri jubeat.

Sic in officii solemnis recitatione, non attendendum, quomodo olim in Ecclesia distribuebantur Horæ Canonice, sed quomodo jam sint distributæ secundum usum hujus Ecclesiæ, in qua ministramus.

Sic in Monachorum privilegiis non attendendum, qualis esset subiectio Monachorum Episcopis, sed qualis sit præsens Ecclesiæ usus circa hanc subjectionem, circa hæc privilegia.

Sic in determinando, quâ ætate Clerici sunt ordinandi, quibus vestibus sunt vestien-

320 MORALIS CHRISTIANA
di, quibus modis sint ad beneficia admittendi, non attendendum est, qualis fuerit olim circa id Ecclesiæ disciplinā, sed qualis sit præsens Ecclesiæ usus, & Episcoporum zelum Dei habentium consuetudo. Cum enim ista omnia ad meram disciplinam pertineant, juxta varias Ecclesiæ determinationes mutari potuerunt, & juxta usum præsentem ab Ecclesia approbatum observari debent. De hoc plura dicemus in sequenti tractatu cap. 2. in quo ostendemus, quomodo intelligendi sint Canones ad meram disciplinam pertinentes.

CAPUT VII.

De his, quæ excusant ab observantia legis.

Multa sunt, quæ possunt ab observantia legis excusare, v. g. ignoramia, passio seu concupiscentia, metus, privilegium, dispensatio. De his omnibus sequentibus articulis agemus.

ARTICULUS I.

Quandonam ignorantia excusat à peccato ; quandonam minuat, aut aggravet peccatum.

Nota. Cognitio generatim est operatio animæ, per quam objectum nobis propositum & quasi in nobis depictum cognoscimus.

Cognitio juxta Aug. lib. Retract. 15. duplex est, alia facti, alia peccati.

Cognitio facti est ea , quæ versatur circa actum physicè , ut dicunt , spectatum , quâ nimis cognoscimus nos quidem rem talem peragere , v. g. cognoscimus nos talem profere sermonem , talem cibum potumve sumere , tali concupiscentiæ motu agitari ; quin tamen cognoscamus aut advertamus , an res , quæ à nobis peragitur , sit licita vel illicita.

Cognitio peccati ea est , quâ hæc duo , scilicet rem & peccatum cognoscimus , v. g. cognoscimus nos rem talem agere , & eamdem rem , quam agimus , nobis esse prohibitam. Talis est actio illius , qui ritè confcius hujus præcepti negativi : *Non furtum facies* , & istius præcepti affirmativi : *Omnia in gloriam Dei facito* , se determinat , vel ad surandum , vel ad non referendum actionem suam ad Deum.

Ignorantia nihil est aliud , quam defectus & privatio cognitionis. Et sicut ex Aug. cognitio alia est facti , alia peccati ; ita ignorantia alia est facti , alia peccati.

Ignorantia facti ea est , quâ latet nobis factum ipsum physicè , ut dicunt , spectatum , v. g. manducat quis non advertens se manducare ; loquitur non advertens se loqui ; ignorantia est facti.

Ignorantia peccati ea est , quâ latet nobis , an id , quod agimus , sit lege prohibitum , v. g. manducat quis , advertit se manducare , delectatur in cibo ; sed nescit aut non advertit , an cibus , quem sumit , sit lege vetitus , nec ne ? ignorantia est peccati.

Rursus ignorantia est multiplex , alia est negativa , alia est privativa.

Ignorantia negativa est nescientia rerum, quas scire aliquis, vel non potest, vel non debet: sic pueri, amentes, &c. dicuntur ignorantes ignorantia negativa.

Ignorantia privativa est privatio cognitio-
nis earum rerum, quas quis scire & potest
& debet, ut decenter operetur. Talis est
ignorantia illius, qui nescit ea, quae sunt
sui officii, & negligit ea addiscere.

Ignorantia privativa, alia est facti, alia
est juris.

Ignorantia facti est ea, quae versatur circa
ipsius facti qualitatem aut circumstantias;
ut dum quis sciens legem prohibuisse fac-
tum aliquod, Ignorat tamen actionem hanc,
quam elicit, habere conditiones requisitas ad
hoc, ut sit actio illius speciei, quae lege
prohibetur.

Ignorantia juris est ea, quae versatur cir-
ca legis dispositionem; ut dum quis ignorat
legem prohibuisse factum, quod perpetrat,
vel imperasse factum, à quo abstinet.

Sic veteres pagani ignorantes fornicatio-
nem esse illicitam, congregiendo cum me-
retribus, ignorantiam juris habebant, non
facti. Jacob vero probè sciens fornicatio-
nem esse illicitam, concubens cum Lia,
quam sibi desponsatam credebat, ignora-
tiā juris non habuit, sed facti.

Rursus ignorantia, tum juris, tum facti,
alia est vincibilis, alia invincibilis.

Ignorantia vincibilis est ea, quae humano
studio & diligentia vinci potest. Talis est
ignorantia legis naturæ circa prima princi-

pia , & circa conclusiones faciles , quas quilibet potest facilis negotio cognoscere , si ad seipsum redire voluerit.

Ignorantia invincibilis est ea , quæ èà industria , èà diligentia , quæ potest & debet adhiberi , vinci non potest. Talis est ignorantia mysteriorum fidei in eo , qui nihil audivit de fide.

Rursus ignorantia alia est , ut loquuntur , antecedens , alia concomitans , alia consequens.

Ignorantia antecedens est ea , quæ nullo actu antecedenti quaesita aut affectata , est tamen causa volendi aliquid , quod sit , quodve alijs non fieret. Talis est ignorantia illius , qui summam adhibet diligentiam , ut cognoscat , an actus eliciendus sit licitus , vel illicitus , & ignorans facit actum illicitum , putans esse licitum , v. g. occidit hominem , putans occidere feram ; manducat carnem , putans manducare pisces. Hæc ignorantia tollit voluntarium , & facit involuntarium , & proinde excusatà peccato.

Ignorantia concomitans est ea , quæ præcisè concomitantur actum malum , nec causat , nec impedir illum , sed concomitanter se habet ad actum. Talis est ignorantia illius , qui ira accensus occidit inimicum , putans occidere feram ; sed nesciens occidere inimicum , quem fortè vellet occidere.

Hæc ignorantia nec facit voluntarium , nec involuntarium , sed concomitanter se habet ad voluntarium & involuntarium ; proinde , nec facit peccatum , nec excusatà peccato , nec aggravat peccatum ; sed extrinsecè se habet ad illud.

Ignorantia consequens seu volita, ut dicunt, per actum voluntatis, est voluntaria carentia alicujus cognitionis, quæ est causa actus mali.

Talis est ignorantia illius, qui ignorat illud, quod poterat & debebat addiscere.

Ignorantia consequens alia est directè volita, alia indirectè volita.

Ignorantia directè volita est ea, in quam fertur voluntas plenâ deliberatione, quam ultrò amplectitur, & affectat.

Talis est ignorantia illius, qui non vult cognoscere ea, quæ sunt sui officii, ut dispensetur à suo officio, juxta illud; *Noluit intelligere ut bene age et.* Psal. 35 v. 3.

Ignorantia indirectè volita est illa, quæ est volita, non ultrò & in se, sed est volita ratione negligentiae.

Talis est ignorantia illius, qui ductus amore rerum sensibilium, negligit addiscere ea, quæ sunt sui officii.

PROPOSITIO unica. Ignorantia invincibilis & omnino involuntaria excusat totaliter à peccato.

Probatur 1º. Ex Scriptura. Gen 20. Ubi acceptatur à Deo excusatio Abimelech dicentis: *Domine num gentem ignorarem, & justam iniurificies, subditur enim;* Dixitque ad eum Deus; & ego scio, quod simplici corde feceris.

Et rursus: *Si non venisssem, & locutus fuisssem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Joan. 15. Ergo sicut Abimelech simplici corde & ignoranter agens excusatus est à peccato: & sicut

sicut Iudei, qui Christum prædicantem non audiissent, excusati similiter fuissent à peccato infidelitatis; quia invincibiliter Evangelium ignorassent. Ita universaliter dicendum, quod in omni casu ignorantia invincibilis excusat à peccato.

2º. Ex D. Thom. *Non imputatur homini ad negligentiam, si nesciat ea, quæ scire non potest, unde horum ignorantia invincibilis dicitur, quia studia superari non potest; & propter hoc talis ignorantia, cum non sit voluntaria, eo quod non est in potestate nostra eam repellere, non est peccatum.* I. 2. q. 66. a. 2.

3º. Rat. Nullum est peccatum nisi sit voluntarium; nullum est voluntarium, ubi est ignorantia omnino involita: quia voluntarium est illud, quod procedit à voluntate cum cognitione finis: ergo nullum est peccatum, ubi est ignorantia invincibilis.

Consecaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Si quis ignoret invincibiliter conclusiones remotissimas difficultate eductas ex præceptis Decalogi, non peccat, licet agat contra legem Dei; quia ignorantia invincibilis, tum juris, tum facti, excusat à peccato.

Sic excusat a peccato ebrietatis Noë; quia potionis, quâ inebriatus est, vim nesciebat.

Sic excusat à peccato Jacob, Liam Rachelis loco substitutam cognoscens carnaliter; quia Liam uxorem suam esse credebat.

CONSECTARIUM II. Si quis ignoret
Tom. I.

Ee

invincibiliter constitutiones Ecclesiæ, non peccat, nec censuras incurrit, licet agat contra constitutiones Ecclesiæ; quia ignorantia invincibilis excusat à peccato, ut docet D. Thom. his verbis: *Si quis sufficiens habeat impedimentum, propter quod scire non potuerit constitutionem Papæ, putà si fuit in carcere, vel in terris extraneis, ad quas constitutio non pervenit, vel propter aliquid impedimentum simile; talis ignorantia excusat, ut non peccet contra constitutionem Papæ agens.* Quodlibeto 1. art. 19. Idem habet Jus canonicum: *Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quarumcumque ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes.* cap. Ut animatum. De constitutionibus in 6.

CONSECTARIUM III. Si quis ignorat invincibiliter jus civile, non peccat, licet agat contra jus civile; quia ignorantia invincibilis excusat à peccato.

CONSECTARIUM IV. Si quis ignorat invincibiliter aliquam circumstantiam facti, excusat à deformitate, quæ actui suo competenter, si agendo illam circumstantiam cognovisset; quia ignorantia invincibilis excusat à peccato.

Sic Judas cognoscens carnaliter Thamarem Nutrum suam, quam meretricem esse putabat, peccavit quidem peccato luxuriaz; quia accessit ad mulierem non suam; sed non peccavit peccato incestus; quia non poterat Nutrum suum cognoscere, eo quod faciem suam velaverat.

Sic, qui manducat carnes die Veneris, ut dicatur peccare, requiritur, ut non solum vel

actualiter, vel virtualiter advertat se manducare carnes, sed etiam se manducare carnes die ab Ecclesia prohibito.

Sic, ut homo peccet loquendo falsum, requiritur non solum quod advertat se loqui; sed etiam quod advertat se loqui falsum. Ad hoc ut homo peccet verba blasphematoria vel imprecatoria proferendo, requiritur non solum ut advertat se loqui; sed etiam ut advertat aliquo modo ad significationem verborum, quæ profert: si tamen inadvertentia sit vel directè vel indirectè voluntaria, non excusatur à peccato.

P R O P O S I T I O II. Ignorantia aliquo modo affectata, vel aliquo modo vincibilis, non omnino excusat à peccato, sed solum minuit peccatum; non excusat à toto, sed à tanto: excusat à mortali, si negligentia fuerit tantum venialis; minuit mortale, si negligentia fuerit mortalis.

Probatur 1°. Ex Scriptura: *Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die judicii, quam tibi ò Capharnaum.* Matth. 11. v. 24. Ergo ignorantia Sodomitarum; quia fuit indirectè volita, ob negligentiam punienda est, sed remissius, quam si fuisset directè volita: ergo ignorantia illa non omnino tollit peccatum, sed minuit; non excusat à toto, sed à tanto.

consectaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Rari sunt casus, in quibus excusentur totaliter à peccato illi, qui violant ex ignorantia jus naturale;

E e i j

quia illa ignorantia vinci potest , vel per studium proprium , suam interrogando conscientiam , vel per instructionem aliorum , consulendo doctiores , vel per frequentes orationes deprecando dominum , aut simili- bus precibus : *Domine quid me vis facere , vias tuas demonstra mibi , & semitas tuas edoce me.*

C O N S E C T A R I U M II. Rari sunt casus apud Catholicos , in quibus excusantur totaliter à peccato Catholici , qui ex ignorantia violent jus Ecclesiasticum ; quia illa ignorantia est serè semper aliquo modo voluntaria : nam aut Patochi proprii , aut saltem vicini instruunt populum circa præcepta Ecclesiastica ; ideo damnata est hæc propositio ab Innocentio XI. *Absolutionis cæpax est homo , quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei , etiam si per negligentiam culpabilem nesciat mystrium Trinitatis & Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi.* Hoc enim insinuat ignorantiam voluntariam non excusare à peccato , & Catholicos frequenter ex propria negligentia ignorare mysteria fidei.

P R O P O S I T I O III. Probabilissimum est dari de facto ignorantiam inculpabilem juris naturæ ; non relativè ad præcepta communia , qualia sunt ista : bonum est faciendum , malum fugiendum ; nec relativè ad conclusiones facile eductas ex primis principiis , quales sunt istæ ; non est blasphemandum , pejerandum , furandum , adulterandum &c. Sed relativè ad conclusiones longè remota s à primis principiis , quales sunt

multæ quæstiones , quæ à gravibus & piis autoribus agitantur , in quibus alii licitum putant , quod alii putant illicitum : tales sunt multæ quæstiones morales nondum ab Ecclesia expressè determinatæ.

Probatur 1º. Autoritate Alexandri VIII. qui sequentem propositionem damnavit. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ , hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat à peccato formalí: ergo supponit summus ille Pontifex aliquando dari ignorantiam invincibilem juris naturæ.

2º. D. Thom. Lec. 11. cap. 5. lib 3. Ethic. ubi hæc habet : difficultia juris non teneri omnes scire ; quia nec possunt & 1. 2. q. 100. a. 11. Præceptorum moralium triplex est gradus ; nam quædam sunt communissima , & adeo manifesta , quod editione non indigeant , sicut mandata de dilectione Dei & proximi , & alia hujusmodi , ut supra dictum est , quæ sunt quasi fines præceptorum ; unde in eis nullus potest errare secundum judicium rationis. Quædam vero sunt magis determinata , quorum rationem statim quilibet etiam popularis potest de faciliter videre ; & tamen quia in paucioribus circa hujusmodi contingit judicium humanum perverti , hujusmodi editione indigent , & hæc sunt præcepta Decalogi. Quædam vero sunt , quorum ratio non est adeo manifesta cuilibet , sed solum sapientibus , & ista sunt præcepta moralia superaddita Decalogo , & tradita à Deo populo per Moïsem & Aaron. Hactenus D. Thom.

Præcepta primi generis non possunt igne;

E c iij

xari invincibiliter ; ut dicit ibidem Sanctus Thom. quia sunt adeo manifesta , ut editione non indigeant.

Præcepta 2. generis non possunt ignorari invincibiliter, ut docet D. Thom. 1. 2. q. 4. art. 4. Quia ratio non deficit nisi in paucioribus , propter hoc quod aliqui habent depravatam rationem ex passione , seu ex mala habitudine naturæ.

Præcepta 3. generis possunt invincibiliter ignorari ; quia ut ait D. Thom. 1. 2. q. 91. a. 2. ad 1. Homo participat legem æternam secundum quædam communia præcepta , non autem secundum particulares directiones singulorum , quatenus in lege divina continentur. Et quia ut ait idem Doctor q. 94. a. 6. Quædam sunt , ad quorum judicium multa requiruntur consideratio diversarum circumstantiarum , quas considerare diligenter non est cujuslibet , sed sapientum ; sicut considerare particulares scientiarum conclusiones non pertinet ad omnes , sed ad solos Philosophos . . . Idem docet Albertus 12. dist. 22. a. 16. Idem Antoninus 1. parte n°. 3. cap. 10.

Consecratio hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Actus contrarius legi divinae , si bona fide credatur , vel præceptus , vel permisus , potest esse bonus , & meritorius , non bonitate intrinseca , sed bonitate apprehensa : sicut enim actus intrinsecè bonus , v. g. credere Christo , ex conscientia erronea elicitus , est malus , non

malitiâ intrinsecâ , sed solum extrinsecâ ; ita actus intrinsecè malus , si bona fide elicitatur , potest esse bonus , non bonitate intrinsecâ & objectivâ , sed extrinsecâ . Et hoc est quod dicit Bernardus lib. de præcep. & dispen. cap 18. Et quidem laude dignam duxerim vel solam intentionem piam ; nec plane condignâ remuneratione fraudabitur , in opere quoque non bono , ipsa bona voluntas.

Dixi , bona fide ; nam si ignorantia proveniat , vel à passione , vel à concupiscentia , vel à pravo habitu , tunc non excusat ; quia est voluntaria.

CONSECTARIUM II. Dum inter audiendo confessiones occurrit pœnitens , qui contra jus naturale peccasse deprehenditur , asserens tamen se bona fide credidisse licitum , quod jam ei declaratur illicitum , tunc maxima cautione confessario opus est.

Oportet 1. Considerare , num actus ille elictus contra legem naturalem , ex ignorantia culpabili potius , quam ex bona fide processerit ; raro enim contingit , quod ignorantia juris naturæ ex aliqua culpa personali non procedat : aut enim nimis inhæremus sensilibus , quæ nos avertunt à cognitione veritatis ; aut ad conscientiam arguentem obsurdescimus ; aut saltem preces negligimus , quibus à Deo officii nostri cognitionem impetraremus : in illo ergo dubio pœnitens accuset se illius ignorantia , pro ut coram Deo reus judicatur. 2°. Instruat ipsum confessarius circa ea omnia , quæ ejus sunt officij. 3°. Si confessarius agnoscat ig-

norantiam juris naturalis esse voluntariam, tunc debet pœnitentem præmonere, cique indicare hanc ignorantiam non excusare coram Deo, sed accusare, & nullas esse confessiones, in quibus non declaravit peccata ex ignorantia culpabili commissa.

P R O P O S I T I O 4^o. Ignorantia affectata non excusat à peccato; sed qui agit aliquid contra legem ex ignorantia affectata, peccat tanto gravius, quanto pertinaciùs affectavit ignorantiam legis, quam violat.

Probatur 1^o. Scripturā Job. 21. v. 13. *Ducunt in bonis dies suos, & in punto ad inferna descendunt. Qui dixerunt Deo: recede à nobis, scientiam viarum tuarum no'umus.* Et Paulus ad Romanos cap. 1. *Revelatur ira Dei de cælo super omnem impietatem & injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent;* Affectando nimis ignorantiam divinæ veritatis: ergo cum juxta Scripturam ignorantia affectata tam severè à Deo puniatur, non excusat à peccato.

2^o. Ex Hilario in Psal. 118 ubi sic habet: *Non habet veniam ignoratio voluntatis; quia sub scientiæ facultate nescire, repudiatae magis, quam non repertæ scientiæ, est reatus.*

3^o. Ex D. Thomi. q. 3. de malo a. 8. Ubì sic loquitur: cum aliquis vult directè ignorare, ut à peccato per scientiam non detrahatur; talis ignorantia non excusat peccatum, nec in toto, nec in parte; sed magis auget: ergo, &c.

Prima Ratio. Illud non excusat peccatum, sed auget & aggravat, quod efficit. Peccatum magis voluntarium; quia peccat-

tum cæteris paribus cò est gravius , quò magis est voluntarium : ergo cum ignorantia affectata reddat peccatum magis voluntariū ; quia , ut ait D. Thom. ibidem ex magno amore peccandi videtur contingere , quod aliquis detrimentum scientiæ pati velit , ad hoc quod liberè peccato adhæreat : ergo ignorantia affectata aggravat peccatum.

Secunda Ratio. Si ignorantia affectata excusaret à peccato , utile foret cognitionem legis , Deique notitiam à nostris mentibus procul amovere ; hinc enim fieret , ut actuū nostrorum deformitateni non attenderemus , adeoque vix unquam peccaremus , quamvis facta in seipsis nefanda perpetraremus : impium consequens , ut patet ex his verbis Psalmistæ : Exarcebavit Dominum peccator ; non est Deus in conspeclu ejus , inquitæ sunt viæ illius in omni tempore. Et ex istis verbis Apostoli : Ignorans ignorabitur. Et rursus , qui sine lege sunt , sine lege peribunt. Excusandi essent pariter hi , qui Apostolos , qui Martyres , ex inordinato zelo occiderunt , putantes obsequium se præstare Deo . Excusandi quoque essent indurati & excœcati , qui ex affectata ut plurimum agunt ignorantia. Quæ cum ita sint : Hoc qui sentit ; ut loquitur August. non cernit , quam contra Apostolum sentiat ? Quod quidem non ipse sentit , sed hoc sequitur illa , quæ sentis : muta ergo antecedentia , si vis cavere consequentia. lib. 2. de adulteris conjugiis num 3. alias cap. 4.

Consecaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Peccat, qui ignoranter violat principia communia juris naturalis, v. g. malum est fugiendum, bonum est agendum; quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: quia haec ignorantia est affectata; nam ut ait D. Thom. I. 2. q. 94. a 6. *Quantum ad illa precepta communia lex naturalis nullo modo potest à cordibus hominum dereli in universalis.*

C O N S E C T A R I U M II. Ille peccat, qui ignoranter violat præcepta Decalogi, v. g. idololatriam committit, pejerat, inhonrat parentes, occidit proximum, fornicatur, calumniatur, furatur, mentitur, &c. Etenim qui ignoranter haec violat præcepta, agit ex ignorantia affectata: possunt enim hujusmodi mandata studio addisci, etiam sine Doctore, sine Prædicante, solam consulendo conscientiam, juxta illud Isaïæ: *Redite prævaricatores ad cor. Quod si legem non videant, inquit D. Thom. Hoc preventit ex eorum culpa; deletur tamen in particuliari operabilit, secundum quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile propter concupiscentiam, vel aliquam aliam passionem.*

C O N S E C T A R I U M III. Peccat, qui ignorat ea, quæ sunt sui officii, quæ debet, & potuit addiscere, & agit cum illa ignorantia. Peccat; quia illa ignorantia est affectata; tenetur illam vincere, aut deserere suum officium, aut suspendere exercitium

sui officii, donec sit sufficienter eruditus; quia ut docet D. Thom. 1. 2. q. 76. a. 2. Qui cumque negligit habere, vel facere id, quod tenetur habere, vel facere, peccat peccato omissionis: unde propter negligentiam ignorantia eorum, quæ aliquis scire tenetur, est peccatum; ideo peccant qui hic subjiciuntur.

1. Fidelis quilibet ignorans orationem Dominicam, Symbolum Apostolicum, præcepta Decalogi, & Ecclesiæ Sacra menta, quæ recepit, vel debet recipere; quia sunt ea, quæ, ut ait D. Thom. 2. 2. q. 2. art. 7. *Communiter in Ecclesia solemnis antur, & publice proponuntur.*

Sic, si non confiteatur peccata quoad speciem, quoad numerum, quoad circumstan-
tias necessario exprimendas, & id omittat
ex negligentia culpabili mortaliter, non ex-
cusatur à sacrilegio.

2. Episcopus, qui nescit ea, quæ debet inferioribus Sacerdotibus explicare: *Oportet enim Episcopum esse Doctorem.* 1. ad Timoth. 3. *Ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere,* ad Titum 1.

3. Parochus, qui nescit ea, quæ debet plebi explicare: *Labia enim Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt de ore ejus.*

Sic Clericus pactum aliquod simoni acum faciens, ignorans illud esse prohibitum, non excusatur à peccato, ut habetur, in capite; *Per tuas, de simonia.*

Sic ignorantia canonum circa prohibitio-
nem venationis factam Clericis, circa legi-
timum usum bonorum Ecclesiasticorum,

circa censuras, irregularitates, circa residen-
tiam in beneficiis, circa legitimam vocatio-
nem ad statum Clericalem, circa Canoni-
cam Beneficiorum resignationem, aut col-
lationem, non excusat Clericos aut Sacerdo-
tes; quia ea omnia officia & possunt &
debent scire, vel consulendo, vel stu-
dendo.

4 Confessarius, qui nescit casus consciencie; oportet enim, ut quatenus judex spiri-
tualis, discernat inter lepram & lepram.

5. Demum Advocatus, qui nescit leges;
& tamen officium advocati exercet. Judex,
qui nescit formam juris exercendi. Nota-
rius, qui nescit formam conficiendi instru-
menta publica. Medicus, qui nescit Medici-
nam; & tamen eam exercet: quia isthac of-
ficia nequeunt inculpabiliter sine competenti
scientia exercere.

Peccant, inquam, non continuo, sed so-
lum, quando est tempus acquirendi scien-
tiam, quam habere tenentur, & quam ne-
gligunt acquirere. Immo peccant, quoties-
cumque cum tali ignorantia agunt disformi-
ter ad legem, & tenentur ad restitutio-
nem, quoties ignoranter damnum intulerunt
proximo. D. Thom. 1, 2. q. 76. art. 2. ad 5.

Immo peccant, quandiu manent in tali
ignorantia affectata, & in voluntate exercen-
di officium; quia ut ait D. Thom. *Aliquis*
scire tenetur illa, sine quorum scientia non po-
test debitum alcum exercere debite: unde om-
nnes tenentur scire communiter ea, quae sunt fi-
dei, & universalia juris præcepta; singuli
autem ea, quae ad eorum statum, vel officium
spellant. 1. 2. q. 76. a. 2.

Immo

Immò quamvis per accidens prædicti homines non agant disformiter ad legem ; peccant tamen , quoties exercent suum officium inscii : quia se exponunt periculo peccandi ; ideo debent deserere suum officium , vel saltem suspendere , donec didicerint ea , quæ sunt sui officii.

C O N S E C T A R I U M IV. *Qui ex ignorantia affectata ignorat præcepta Ecclesiæ , quæ potuit , & noluit addiscere , peccat ; quia ignorantia affectata non excusat à peccato : Non tibi imputatur ad culpam , quod ignoras invitus ; sed quod negligis querere , quod ignoras.* Aug.lib. 3. de libero arb. cap. 19.

Sic qui ex ignorantia affectata non observat jejunia Ecclesiastica , dies festos ab Ecclesia institutos , &c. peccat.

C O N S E C T A R I U M V. *Qui ex ignorantia affectata aliquid facit , cui annexa est censuta , non excusat à censuris ; quia qui vult peccatum , censetur velle pœnam annexam peccato ; ita declarat jus Canonicum cap. Ut animarum ; de constitut. in 6. ubi sic habetur : Ut animarum periculis obvietur , sententiis quoque ordinariorum ligari volumus ignorantes ; duxi tamen eorum ignorantia crassa non fuerit & supina.*

C O N S E C T A R I U M VI. Ignorantia facti non excusat eos , qui sufficientem non adhibent diligentiam , ad cognoscendum , quod debebant & poterant cognoscere.

Sic Sacerdos , qui baptisaret puerum jam baptisatum , consecraret acetum in missa , absolutionem impertiret homini non sufficienter disposito , non excusat à peccato .

338 MORALIS CHRISTIANA.
Si omiscerit ea examinare, quæ debebat &
poterat examineare.

ARTICULUS II.

*Quandonam Concupiscentia excusat à peccato ;
quandonam minnat aut aggravet
peccatum.*

Concupiscentia generatim est appetitus boni,

Concupiscentia alia est sensitiva , alia intellectualis.

Concupiscentia intellectualis est , vis spiritualis , appetens bonum propositum per intellectum.

Concupiscentia sensitiva est vis materialis , appetens bonum sensibile , & fugiens malum sensibile.

Concupiscentia sensitiva alia est justa , alia est vitiosa.

Concupiscentia sensitiva justa est vis appetens bonum sensibile , & fugiens malum sensibile secundum regulas rationis.

Concupiscentia sensitiva vitiosa est vis appetens bonum sensibile & fugiens malum sensibile , contra regulas rationis.

Concupiscentia vitiosa alia est voluntaria , alia involuntaria.

Concupiscentia vitiosa involuntaria , est appetitus inordinatus , sed indeliberatus , boni sensibilis , inclinans ad desiderium inordinatum , & indeliberatum.

Concupiscentia vitiosa voluntaria , est appetitus deliberatus & inordinatus boni sen-

sitivi, orcus ex pravo actu voluntaris.

P R O P O S I T I O I. Passio omnino involuntaria, & omnino absorbens usum rationis, excusat totaliter à peccato.

Probatur ex supra dictis. Peccatum debet esse voluntarium, vel formaliter, vel virtualiter; ubi autem est passio omnino involuntaria, & omnino absorbens usum rationis, non potest esse libertas.: ergo nec peccatum.

P R O P O S I T I O II. Passio aliquomodo volita, vel relinquens usum aliquem rationis, non tollit omnino peccatum, sed minuit; non excusat à toto, sed à tanto.

Probatur 1^o. Scriptura. Apostolus ad Rom. 7. vocat passiones peccatorum; quod dici non posset, si passiones à peccato totaliter excusarent: ergo passiones non totaliter à peccato excusant.

2^o. Ex D. Thom. *Passio minuit peccatum, in quantum minuit voluntarium.* 1. 2. q. 77. art. 6. in corp. Ergo si passio sit aliquo modo volita, non tollit omnino peccatum, sed minuit.

3^o. Ratione. Passio omnino involuta, & totaliter absorbens usum rationis, excusat totaliter à peccato; quia tollit libertatem: ergo passio aliquomodo volita, vel relinquens usum aliquem rationis, non totaliter excusat à peccato, sed ad sumum minuit peccatum.

Consecaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Rari sunt casus,

F fij

in quibus homo agens ex passione totaliter excusetur à peccato; quia passio ut plurimum est voluntaria, vel positivè in causa, vel negativè, in eo quod homo neglexerit ea, quæ passionem temperare potuissent; neglexerit scilicet, v. g. preces, & exercitium virtutis, &c. Quibus passio retineri potuisset.

C O N S E C T A R I U M II. Peccatum ex animi perturbatione commissum, si ex genere suo mortale sit, ita excusat; ut fiat veniale, si committatur ex motu subito; quia motus subitus impedit usum rationis deliberatæ; & ita excusat, ut tamen sit mortale, si non fiat ex motu subito; quia tunc ratio potest passioni occurrere, eamque moderari. Ita D. Thom. his verbis: *Quia ratio deliberans non potest occurrere, quod contingit in subiectis motibus, peccatum est veniale. Cum autem ex passione aliquis procedit ad actum peccati, vel ad consensum liberatum, hoc non sit subito; unde ratio deliberans potest hic occurrere; potest enim excludere, vel saltem impedire passionem; unde si non occurrat, est peccatum mortale, sicut vidimus, quod multa homicidia, multa adulteria, per passionem committuntur.* 1. 2. q. 77. art. 8.

P R O P O S I T I O III. Passio voluntatiè affectata adauger peccatum, & eo magis aggravat, quod est magis voluntariè affectata.

¶ Probatur 1°. Ex peccato duorum senum, qui exarserant in concupiscentiam Susannæ; quod peccatum ideo gravius reputatur, quia longiori tempore fuerat animo præparatum,

TRACT. IV. CAP. VII.

ideo uni ait Daniel : *In veterate dierum³⁴¹ malorum,*
& alteri : *Semen Chanaan & non juda.* Daniel.
13. v. 16.

2°. Ex D. Thom. passio autem consequens
non minuit peccatum , sed magis auget.
Ibidem.

3°. Ratione. Illud adauget & aggravat
peccatum , quod efficit peccatum esse magis
voluntarium ; quia peccatum cæteris paribus
cò gravius est , quò est magis voluntarium :
denotat vehementem affectum & ardorem
peccandi ; passio autem affectata efficit , ut
peccatum sit magis voluntarium : ergo ag-
gravat peccatum.

Consecaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Qui violat le-
gem ex passione affectata , non excusatur à
peccato , sed gravius peccat , quam qui vio-
lat ex infirmitate ; quia peccatum illud est
magis voluntarium , & quasi ex industria
commissum : ideo ait Greg. lib. 25. mora-
lium cap. II. Gravius quidem infirmitate ,
quam ignorantia ; sed multo gravius studio ,
quam infirmitate peccatur.

CONSECTARIUM II. Qui violat le-
gem ex passione affectata , non excusatur ex
eo , quod non habeat actualem advertentiam
ad legem , vel ex eo quod nullis stimulis à
peccando deterreatur ; quia ad peccandum
non requiritur actualis advertentia ; ut dic-
tum est ; potens enim , & debens advertere ,
& non advertere , peccat , inquit Antoni-
ninus.

Sic, non immunes fuerunt à peccato Iudei, qui Christum ex passione affectata no-
luerunt ut Messiam agnoscere, Scripturam, quæ reddebat testimonium Christo, in præ-
vos sensus detorquendo, & miracula Christi in artem Dæmonum refundendo.

Sic non immunes fuerunt à peccato, tum Gentiles, tum Iudei, qui nullo servato
juris ordine ex passione affectata Christum cruci affixerunt.

Sic, non immunes fuerunt à peccato Tyranni, qui contra omnes juris regulas Christianos crudelibus affecerunt suppliciis: et si forte iidem Tyranni putarent obsequium se præstare Deo.

Sic, non immunes sunt à peccato indurati, & obsecrati, qui sine ullo scrupulo legem violent.

P R O P O S I T I O IV. Qui sentit inesse sibi pravum aliquem habitum, ceu pravam aliquam consuetudinem, quâ obfirmatur in aliquo genere peccati, v. g. blasphemie, perjurii, vindictæ, &c. Tenetur sub peccato pravum illum habitum extirpare, pravamque illam consuetudinem vincere; quod si neglexerit, non excusatur à peccato, quoties etiam incogitanter erumpit in actum, ad quem ex pravo habitu inclinatur.

Probatur 1º. Scripturâ. Prov. 18. v. 3. *Impius, cum in profundum venerit, contemnit:* Sed contemptus reddit homines no-
centiores: ergo & mala consuetudo, quam
vincere non conamus, hoc facit; quæ con-
suetudo per hanc vocem, *Profundum*, in scrip-
turis designatur,

2°. Ex Chrisostomo homilia 4. ad baptis-
fendos, ubi hæc sibi objicit: Sed inquietunt,
dura res est consuetudo, & quæ facile mutari
non possit, quæ nonnumquam & invitatos tra-
hit, & nolentes committere cogit illicita. Qui-
bus ita respondet Sanctus Patriarcha: Igitur
tanto te hujus mali reatu liberare festina, quan-
to consuetudinis vim necessitatemque cognoscis,
& ad aliam consuetudinem migrare proponas.
Quibus verbis Sanctus Doctor ostendit nos
debere pravos habitus extirpare, & insinuar
non excusari eos, qui ex pravo habitu ope-
rantur.

3°. Ratione. Malum voluntarium est to-
tis viribus ab anima nostra evelendum, ut
patet; atqui prava hæc consuetudo est ma-
lum voluntarium, ut supponitur: ergo est
totis viribus evelenda.

Quod vero minimè excusemur à peccato,
quoties etiam incogitanter sequimur pra-
vum habitum voluntarium, patet. Primo;
quia hæc prava consuetudo voluntaria est in
causa. Secundo; quia actualis advertentia
non requiritur ad peccandum. Tertio; quia
sicut consuetudo bene agendi quantumvis
robusta, non impedit quominus actus virtu-
tis sit voluntarius & honestus; quia scilicet
bona hæc consuetudo voluntaria est in cau-
sa: ita prava consuetudo quantumvis obfir-
mata, si sit voluntaria in causa, non impediet,
quominus actus pravi inde pullulantes, non
sint culpabiles. Quarto; quia hinc sequere-
tur vitiosos homines non leye commodum
ex suis pravis habitibus relatuos; cum eò
essent magis innoxii, quò essent magis in
malo obfirmati.

Dixi pravum habitum , quem non conatur extirpare , non excusare à peccato ; quia si conemur eum extirpare , tunc definit esse voluntarius , & actus , qui nobis invitis ex illo habitu pullulant , non imputantur ad peccatum ; quia non sunt voluntarii .

Consecularia hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. De peccatis cordis. Quicumque habitur in peccata interna , vel ex passione voluntaria , vel ex habitu pravo , quem non conatur extirpare , v. g. habitur in peccata infidelitatis , odii , desperationis , irreligionis , quæ sunt mortalia ex suo genere , peccat mortaliter ; quia censetur ex malitia peccare . De hoc ita D. Thom. 1. 2. quæst. 78. art. 2. in corp. Quandocunque , inquit , quis utitur habitu viciose , ne-cesse est quod ex certa malitia peccet . Et D. Antoninus ait 2. part. tit. 3. cap. 3. §. 15. Nec tamen , inquit , talis consuetudo excusat , vel minuit peccatum , sed potius aggravat . Immo juxta Bernardum serm. 81. in cantica : Non excusatur homo , quod morali necessitate allectus ita operetur ; est enim necessitas hac quodammodo voluntaria , est favorabilis vis quædam , premendo blandiens , & blandiendo premens : hâc enim voluntariâ peccandi nece-sitate plectitur inordinatus animus eo merito , quo volens in eam illabitur . ut ait Aug.

C O N S E C T A R I U M II. De peccatis onis. Qui habet consuetudinem jurandi , detrahendi , &c. debet illam consuetudinem quasi mortiferam judicare , cumque totis viribus

eradicare, & actibus contrariis vincere.

Quod mortifera sit hæc consuetudo, declarat Aug. his verbis serm. 30. de verbis Apostoli: *Furavimus & nos passim, habuimus istam deterrimam consuetudinem, & mortiferam. Dico charitati vestræ, ex quo Deo servire cœpimus, & quoniam malum sit per iuriis vidimus, timuimus vehementer, & eternosissimam consuetudinem timore frænavimus.* Sed quantâ curâ eradicanda sit prava verborum consuetudo, ibidem explicat Aug. afferendo locum istum Jacobi: *Lingua est ingens malum. Ante omnia, inquit, cautos nos facit adversus linguam nostram; lingua nostra in udo posta est, facile in lubrico labitur. Quanto illa ciuius & facilius moveretur, tanto adversus illam fixus eslo. Domabis, si vigilabis, si timebis: timebis, si Christianus te esse cognoveris.*

C O N S E C T A R I U M III. De peccatis operis. Qui habet pravum aliquem habitum inclinantem ad peccata externa ex suo genere mortalia, v. g. ad furandum, fornican-
dum, &c. Debet pravum illum habitum ut mortaliter vitiosum intueri, & eniti totis viribus, ut eum eradicet, & actibus bonis contrariis vincat. De hoc ita loquitur D. Paulus ad Rom. cap. 6. v. 19. *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ: sicut enim exhibuisti membra vestra servire immunditiae, & iniurianti ad iniuriam: ita nunc exhibete membra vestra servire justitiae in sanctificationem.*

Sic ut optimè monet idem Apostolus ad Eph. 4. v. 28. *Qui furabatur, jam non fure-*

tar: magis autem labore, operando manibus suis, quod bonum est, ut habeat, unde tribuat necessitatem patienti.

Sic ut optimè monet idem Apostolus ad Ephes. 5. v. 3. Qui incontinentiae deditus fuit, hoc præceptum debet exactè observare: Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium; aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet; sed magis gratiarum actio: Ergo quicumque inclinatur aliquo vitioso habitu pravo, debet contrariis actibus talēm habitum vincere.

ARTICULUS III.

Quandonam Metus excusat à peccato; quando vero non excusat.

Metus est mentis trepidatio ratione periculi imminentis.

Metus aliud est veniens ab intrinseco; aliud ab extrinseco.

Metus veniens ab intrinseco est ille, qui nobis ab ipsa ratione suggeritur: qualis est, cum timeo, ne cibus aliquis mihi noceat, ab hujusmodi cibo abstinendum esse per rationem judico.

Metus veniens ab extrinseco ille est, quem causa extrinseca nobis injicit: qualis est mortis metus à latrone volente numeros eripere incussum, aut à judice mortem reo minitante.

Metus ab extrinseco aliud est justè, aliud injustè incussum,

Metus extrinsecus injustè incussus ille est, qui sine causâ incutitur: qualis est metus, quem latro viatori injicit, ut ab eo pecunias extorqueat.

Metus justè incussus ille est, qui justâ de causâ incutitur: talis est metus incussus à judice mortem reo minitante, qui virginem defloravit, si nolit damnum illatum reparare.

Metus alius est gravis, alius levis Metus est gravis, quando periculum vel malum grave moraliter imminet; qualia sunt mors, servitus, dehonestatio per stuprum, &c.

Metus levis est, quando periculum est leve, vel malum non grave; aut si grave, non proximè imminet.

Metus gravis solet vocari metus cadens in constantem virum. Porrò homo constans est ille, qui ratione ductus minus malum sustinet, ut majus malum fugiat, v.g. eligit mortem et si præsentem potius, quam damnationem et si futuram.

Homo inconstans est ille, qui levi imaginatione ductus, minus malum præsens renuit sustinere, ut majus malum futurum fugiat; sic v.g. inconstans propter metum pœnæ corporalis, mavult peccatum committere, quam pœnam corporalem sustinere, licet peccatum sit majus malum, quam pœna corporalis.

PROPOSITIO I. Metus gravis, seu, ut dicunt, cadens in constantem virum, numquam excusat totaliter à violatione præcepti, tum negativi, tum affirmativi juris naturalis; seu, quod idem est, homo quilibet

tenetur etiam cum dispendio vitæ observeare præceptum, tum affirmativum, tum negativum juris naturæ.

Probatur 1º. Script. *Potius timete eum, qui potest corpus & animam perdere in gehennam.* & iterum: *Timidis & incredulis pars erit in stagno ignis & sulphuris, quod est mors secunda.* Apocalypſ 13.

2º. Ex Jure Canonico: *Debemus potius quælibet mala tolerare, quam malo consentire.* Canone Iiane, cauſa 32. q. 5.

3º. Ex D. Thom. *Si aliquis propter timorem, quo refugit periculum mortis, vel quodcumque aliud temporale malum, sic dispositus est, ut faciat aliquid prohibitum, vel prætermittat aliquid, quod est præceptum in lege divina, talis timor est peccatum mortale.* 2. 2. q. 125. art. 3. in corp.

4º. Ratione. Violatio præcepti, tum negativi; tum affirmativi juris naturæ, est intrinsecè & essentialiter mala; & ita numquam potest permitti: & proinde, quantumvis gravis sit metus, non omnino excusat à peccato, nisi penitus absorbeat usum rationis: diminuit tamen peccatum, ut supra diximus de passione, idèo ait D. Thom. 2. 2. q. 125. art. 4. *Diminuitur secundum aliquid ejus peccatum; quia minus voluntarium est, quod ex timore agitur; imponitur enim homini quædam necessitas aliquid faciendi propter timorem imminentem:* Ideo pœnitentiæ minuebantur lapsis ex timore, vel mortis, vel pœnaru[m] In cuius rei testimonium affetti potest locus iste Cypriani de Lapsis: *Caro me, inquit lapsus, in colluctatione deruit, infirmata;*

mitas viscerum cessit, nec animus sed corpus dolore defecit: Ad quod ita respondet Cypria. Potest cito proficere ad ventam causa talis: potest ejusmodi excusatio esse miserabilis.

Consecraria hujus Doctrinæ:

CONSECTARIUM I. Quoad præcepta negativa semper & pro semper obligantia.

Peccat, qui metu gravi mortis, exilii, &c. violat præceptum negativum Decalogi, v. g. blasphemat, pejerat, &c. quia hæc omnia sunt directè contra jus naturale.

Peccat, qui metu mortis, exilii, &c. violat præcepta positiva divina vel Ecclesiastica, quæ secum important violationem juris naturalis negativi, v. g. Sacerdos, qui revelat confessionem, celebrat Missam ad fortiliegum, dat indigno absolutionem, &c. quia tunc hæc omnia important violationem juris naturalis negativi.

CONSECTARIUM II. Quoad præcepta affirmativa juris naturæ semper, sed non pro semper obligantia.

Peccat, qui ex metu gravi cadente in vi-
rum constantem non observat præceptum
affirmativum juris naturalis, quando hæc
observatio est necessaria ad tuendum bonum
universale communitatis, tum Ecclesiasticæ,
tum civilis: quia hæc inobservantia est ex
se mala, & conjungitur cum violatione hu-
jus præcepti negativi: conservatio boni
universalis non est deserenda.

Sic, etiam cum propriæ vitæ dispendio
tenetur miles stationem difficilem non de-

serere ; Pastor Ecclesiasticus suis ovibus tenetur spiritualiter succurrere ; Medicus tempore pestis ab urbe non discedere , motivo justitiae , si sit conductus à Republicā , motivo charitatis , si non sit conductus ; id enim exigit bonum universale. De his fusius , ubi de homicidio.

PROPOSITION II. Metus gravis , v. g. mortis , exilii , &c. excusat ab observatione præcepti positivi , Ecclesiastici vel civilis , modo ejus violatio non importet præjudicium bono universalis.

Probatur 1°. Scripturā. Licet Ecclesia , actuum c. 15. v. 20. jussisset à suffocato abstinere & sanguine , nullum tamen legimus Christianum mortem appetiisse pro tuenda hujus præcepti observatione ; sicuti videmus Eleazarum vitam profudisse potius , quam contra præceptum divinum carnes porcinas edere : ergo signum est præcepta Ecclesiastica non obligare cum periculo vitæ.

2°. Ex D. Thom. Præcepta Dei , inquit , sunt præcepta juris naturalis , quæ secundum se sunt de necessitate salutis ; sed præcepta Ecclesiæ sunt de iis , quæ per se non sunt de necessitate salutis , sed solum ex institutione Ecclesiæ : & ideo possunt esse aliqua impedimenta , proprie que aliquis ad observanda jejunia & hujusmodi non tenetur. Quod de jejunis dicit sanctus Doctor , potest intelligi de aliis præceptis Ecclesiasticis , & à fortiori de præceptis civilibus . 2. 2. q. 147. art. 40. ad 1.

3° Ratione. Omnis Lex positiva præcipit , vel prohibet aliquid de se indifferens ; & ita non debet observari cum vitæ dispendio :

quia pro tunc Legislator censetur dispensare
ab observatione legis.

Consecraria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I Qui metu mortis non observaret præcepta Ecclesiæ; manducaret carnes diebus prohibitis; non jejunaret; communicaret civiliter cum hæreticis & excommunicatis: non peccaret; quia hoc præceptum non ligat cum vita periculo.

C O N S E C T A R I U M II Clericus, qui metu mortis non recitatet officium; non deferret vestem Clericalem, coronam attensam, &c. non peccaret propter eandem rationem.

C O N S E C T A R I U M III. Si Tyrannus in derisum Religionis vellet cogere ad violationem præcepti Ecclesiastici, tunc etiam cum dispendio vita, præceptum Ecclesiæ esset observandum; quia contemptus Religionis cedit in detrimentum & præjudicium Reipublicæ Christianæ; & rursus, non observare præcepta Ecclesiæ in prædictis circumstantiis est quasi fidem negare. Exempla habemus multorum Martyrum, qui præcep- tum metu ceremoniale & positivum etiam cum vita dispendio observaverunt; eo quod ejus violatio cederet in detrimentum Christianæ Religionis, & in scandalum juventutis.

A R T I C U L U S IV.

De dispensatione & privilegio.

Dispensatio juxta Raymundum est juris communis relexatio, concessa à legitimo superiore justa de causa. Gij

Privilegium est exemptio à lege servanda facta in favorem aliquorum per modum legis perpetuae.

§. I.

An licita sit dispensatio & privilegium.

PROPOSITIO UNICA. Dispensationum & privilegiorum usus antiquus est in Ecclesia.

Probatur 1^o. Scripturā. Corinthius incertus severæ addictus fuerat pœnitentia; judicaverat enim Paulus: *Tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit 1.ad Corint. 5.v. 5.* Postea vero ex dispensatione Paulus severiorem illam mitigavit pœnitentiam: *Cui autem aliquid donasti, & ego, nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi. 2. ad Corint. 2. v. 10.* Ergo dispensatio erat in usu tempore Apostolorum.

2^o. Ex Paschali ad sanctum Anselmum Epistola 42, ubi sic habetur: *Dispensationis modus nulli unquam sapientum displicuit; novimus enim sanctos Pares nostros, & ipsos Apostolos pro temporum articulis & qualitatibus personarum dispensationibus usos:* Ergo antiquus est usus dispensationum.

3^o. Ratione. Augustini, qui sic habet Epistolā 50. *Detrahendum, inquit, est aliquid severitatis, ut majoribus malis sanandis, charitas sincera subveniat.* Etenim uti qui navigant urgente tempestate in mare quædam projiciunt, ut navim incolunem servent:

ita in quibusdam dispensatur, ut robur legis permaneat.

4°. Ex factis, ex vi dispensationis multa fieri in Ecclesia contra Canones cernimus.

1°. Ambrosius et si Neophitus ordinatus est.

2°. Multi haeretici conversi permitti sunt redire ad suam Episcopalem sedem. 3°. Post vastatam Italiam Monachij non servatis interitiis post annum facti sunt Sacerdotes; Laici vero post decem & octo menses ad eundem honorem ascenderunt, ut docet Gelasius Epistola 1. 4°. Adolescentes post peractam penitentiam publicam permitti sunt uxores ducere, quod utique non licet juxta antiquos Canones, ut docet Leo Epistolâ ad Rusticum Narbonensem cap. 13. Ergo ex vi dispensationis multa facta sunt contra Canones Ecclesie; vide Marcam lib. 3. Concordiæ cap. 14.

Ex vi privilegiorum contra communem regulam, haec & similia facta in Ecclesia cernimus.

1°. Monachis permisum est oratoria habere ad vitandas secularium frequentationes, ita Alexander 3. 2°. Monachis permisum est Laicos apud se sepelire, ita Lucius 3. 3°. Bona temporalia Monachorum ab Episcoporum jurisdictione substracta sunt ob various abusus, ut docet Greg. quæstione. 41. Multisquel factis probat Launoius ergo ex vi privilegiorum contra communem plegem facta sunt multa in Ecclesia.

C O N S E C T A R I U M I U L C U M : Licit dispensatio & privilegium sint exceptio à lege communi; non tamen culpanda est omnis

dispensatio, nec culpandum omne privilegium: quia & dispensatio & privilegium possunt esse, vel in bonum commune Ecclesiae, vel in privatam utilitatem aliquorum, quæ in bonum Ecclesiae redundabit.

S. II.

An licita sit omnis dispensatio, & omne privilegium.

PROPOSITIO unica. Licet antiquus sit in Ecclesia & dispensationum & privilegiorum usus; tamen non omnis dispensatio est licita, nec omne privilegium licitum haberi debet.

Probatur 1^o. Ex Scriptura. Deus exigit, ut prælatus & dispensator sint fideles, juxta illud: *Quæritur jam inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur:* Ergo Scriptura censet, quod non omnis dispensatio sit licita, nec omne privilegium sit licitum; sed tunc solum, quando sit fideliter & juxta regulas à Deo & ab Ecclesia præscriptas.

2^o. Ex Bernardo lib. 3. de consideratione, ubi hæc sibi objicit: *Quid, inquit, prohibes dispensare. Non, sed dissipare. Non sum tardus, ut ignorem positos vos dispensatores; sed in ædificationem, & non in destruptionem:* Ergo non omnis dispensatio est licita, sed ea, quæ fit juxta regulas à Deo & Ecclesia præscriptas.

3^o. Ratione. Qui dat dispensationem, vel concedit privilegium, gerit quodammodo viess Legislatoris: ergo sicuti non omnis lex

ligat, sed ea, quæ est justa, ex autore, ex objecto, ex fine, ex modo, ut diximus, ubi de jure; ita non omnis dispensatio est licita, non omne privilegium est licitum; sed tunc solum, quando fit juxta regulas à Deo & ab Ecclesia præscriptas.

C O N S E C T A R I U M unicum. Sicut non culpanda est omnis dispensatio, nec vituperandum omne privilegium, ita non laudanda est omnis dispensatio, sed examinanda, an conditiones habeat, quas Ecclesia requirit: unde dicitur Bellarminus scripsisse nepoti suo: tutam sibi non habendam esse omnem dispensationem, sed suspectam esse aliquando: *Poteras, inquit, ire in infernum sine dispensatione; nunc autem ibis cum dispensatione:* Ut autem tuta sit dispensatio juxta Doctores, tria requiruntur, res justa, autoritas legitima, & causa rationalis.

S. III.

*Circa quæ dari & peti potest dispensatio valida
& licita.*

Nota 1^o. Quod quæ facienda sunt ab hominibus, & à quibus homines dispensari volunt, sunt duplicis generis.

Alia pertinent ad jus naturale, vel positivum divinum; alia pertinent ad jus positivum humanum.

Nota 2^o. Quod quæ pertinent ad jus naturale, & ad jus positivum divinum, sunt etiam duplicis generis.

Alia sunt necessaria ad salutem ex sola ordinatione Dei.

Sic præcepta Decalogi primæ & secundæ tabulæ, & præcepta Evangelica sunt necessaria ad salutem ex sola ordinatione Dei: dicitur enim: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

Alia sunt necessaria ad salutem, ex ordinatione Dei, simul & ex nostra electione. Talis est observantia votorum & juramentorum; tenemur enim vota quidem observare; sed non tenemur vovere. Non tenemur vovere juxta illud Deut. 23. *Si noueris polliceri, absque peccato eris.* Sed votum semel emissum tenemur servare juxta illud: *Melius est non vovere, quam post vota promissa non reddere.*

Nota 3. Quod quæ pertinent ad jus positivum humanum, vel Ecclesiasticum, vel civile, alia sunt generalia, alia particularia.

Generalia sunt leges, quæ totam Rem publicam tangunt. Tales sunt. v. g. Canones respicientes observantiam festorum, observantiam jejuniorum, &c.

Particularia sunt ea, quæ personas particulares respiciunt. Tales sunt Canones, quibus cavitur, ne tale beneficium sacerdotale detur regulari, ut qui talem, vel talem rem fecerit, irregularitatem contrahat. His positis sit.

P R O P O S I T I O I. Dispensatio non potest licetè dari, nec peti circa ea, quæ pertinent ad jus, vel naturale, vel positivum divinum, & quæ sunt necessaria ad salutem ex sola Dei ordinatione.

Probatur 1^o. Scripturâ. Ex Paulo 2. ad Timoth. 2. v. 13. *Deus fidelis permanet;* ne-

gare seipsum non potest: Negaret autem seipsum, si concederet licentiam dispensandi in his, quæ statuit ipsemet, ut absolutè necessaria ad salutem.

Probatur 2º. Ex D. Thom. I. 2. q. 100. a. 8. in corpore: *Præcepta Decalogi sunt omnino indispensabilia*. Idem diei potest de præceptis Evangelicis: ergo dispensatio, nec dari, nec peti potest licite circa præcepta Decalogi, & circa præcepta Evangelica ad salutem nostram ex sola Dei ordinatione necessaria.

3º. Ratione. Illa sunt indispensabilia, quæ continent primam intentionem Legislatoris; quia dispensatio fit, cum occurrit casus, in quo si lex servaretur, fieret præter intentionem Legislatoris: atqui præcepta iuris naturæ, & præcepta Evangelica continent primam intentionem Legislatoris; nam præcepta Decalogi primæ tabulæ stant, quomodo homo debet se habere in ordine ad Deum, v. g. quâ pietate debeat eum colere. Præcepta secundæ tabulæ stant, qualiter homo debeat se habere in ordine ad alios homines, quam æquitatem debeat servare relativè ad illos. Præcepta Evangelica stant, qualiter homo debeat se habere erga Deum Redemptorem, recipiendo ejus Sacramenta, & observando ejus leges; quæ omnia pertinent ad primam intentionem Legislatoris: ergo dispensationem non patiuntur.

Consecaria hujus Doctrinae.

Nulla umquam debet dari, vel peti dis-

- pensatio circa præcepta Decalogi , vel circa præcepta Evangelica ; quia continent immutabilem Legislatoris voluntatem . Sicuti nunquam venit in mentem dare , vel petere dispensationem circa istam legem : *Conservanda est Respublica , civitas non est tradenda hostibus.*

PROPOSITIO II. Dispensatio licet potest dari , & peti circa ea , quæ pertinent ad jus naturale , & ad jus positivum divinum necessarium ad salutem nostram , ex Dei ordinatioue , & simul ex libera nostri electione ; qualia sunt vota simplicia & juramenta.

Probatur 1^o. Scriptura. *Quodcumque solveris super terram erit solutum & in cælis.* Matth. 16, v. 17. Quæ verba interpres non solum ad absolutionem peccatorum ; sed ad votorum dispensationem extendunt : ergo dispensatio in votis simplicibus & juramentis & peti potest & dari cum causa.

2^o. Ex Jure Canonico. Toto titulo ; *De voto & voti redemptione;* Patet quod vota simplicia peregrinationis , v. g. in locum aliquem sacrum , vel ad Sanctum Sepulchrum , vel votum bellandi pro recuperatione terræ Sanctæ , possunt , aut eleemosinis redimi , vel in alia pia opera commutari ; ergo ex praxi præsentis Ecclesiæ dispensatio in votis simplicibus & juramentis , & peti potest , & dari. Idem videtur ex praxi antiquæ Ecclesiæ ; non enim credibile est eos , qui post votum simplex castitatis emissum matrimonium illicitè contraxerant , & qui juxta Aug. lib. de bono viduitatis cap. 10. à conjugibus sine pecca-

to separari non poterant , relatos esse absque dispensatione , quā possent conjugale debitum petere , sicuti tenebantur reddere.

3°. Ratione. Fideles se votis obligant aliquando , deliberatè quidem , sed ex zelo ardenter , qui sæpius refrigescit ; aliquando deliberatè quidem , sed ex zelo imprudenti , non attendentes , an id quod vovent sit materia voti , nec ne , an sit res quæ sit , vel mala , vel inutilis , vel majoris boni impedimenta . Aliquando nescii , an sufficientem deliberationem habuerint in votando ; in his omnibus casibus expedit , ut sit in Ecclesia potestas vel relaxandi obligationem veri voti simplicis , cum à vovente observari non potest , vel autoritas declarandi , vel votum nullum esse , vel votum imprudens non esse observandum , alias enim Deus non sufficienter Ecclesiæ providisset : è contra admissa illa potestate in Ecclesia , ut loquitur Cyprianus de relaxatione pœnitentia Epis 51. ad Maximum Lapsis , & his qui voverunt , nec censura debet , quæ increpet , nec Medicina , quæ sanet . Ita enim in votis dispensatur , ut semper pia aliqua bona opera prescribantur .

Consecaria hujus Doctrinæ.

Quando fideles ligantur votis simplicibus , vel juramentis , habent—que causas legitimas dispensationis , tune & dari & peti potest dispensatio . ; quia ut ait Paulus 1. ad Corint. 7. *Quod si non se continent , nubant ; melius est enim nubere , quam uriri .* Et ut ait Cyp. lib. 1. Epis. 11. ad Pomponium loquens de vir-

ginibus, qui votum simplex continentia elicuerant: *Si autem perseverare nolunt, ex causâ justâ, vel non possunt, melius est ut nubant, quam in ignem deliciis suis cadant.* Et Aug. lib. de Sancta Virginitate cap. 34. de quibus Virginibus ligatis voto simplici, & non juxta voti obligationem viventibus: *Melius nubent, quam urerentur.*

M O N I T U M. Locutus sum solum de votis simplicibus; quia circa vota solemnia adhærendum puto sententiæ D. Thom. 2. 2. q. 88. a. 11. Ubi docet quod in votum solemne non cadit dispensatio; quia quod Deo semel consecratum est, id perpetuo debet consecratum manere sine ulla cujusquam retractatione, atque adeo consecratus homo voto solemni non potest dispensari, D. Thom. concordat Innoc. 3. cap. *Cum ad Monasterium, de statu Monachorum, cuius hæc sunt verba: Abdicatio proprietatis sicut & custodia castitatis, adeo est annexa regulæ Monachali, ut contra eam, nec etiam summus Pontifex possit licentiam indulgere.*

Quod si summus Pontifex rescripta det, quibus voti solemnis tollat obligationem, non propriè, inquit Thomistæ, dispensat, sed vel declarat vota esse nulla, quia non sunt elicita cum debitiss conditionibus, vel judicat, quod id quod materia voti videbatur, non sit materia voti, in tali & tali circumstantia.

P R O P O S I T I O III. Dispensatio potest & peti & dari circa ea, quæ pertinent ad jus positivum humanum tum Ecclesiasticum, tum civile, sive generale, sive particolare.

Probatur

Probatur ex praxi Ecclesiæ. Ecclesia pri-
mis, mediis, & ultimis temporibus varias
dispensationes concessit circa Canones Con-
ciliorum etiam generalium, ut latè probat
Dominus de Marca lib. 3. Concordiæ. cap.
14. & 15.

Damasus precibus D. Chrysostomi remisit
vitium ordinationis Fabiani, qui ordinatus
erat Antiochenus Archiepiscopus, dum ad-
huc viveret Paulinus ejusdem urbis Pre-
latus.

Leo precibus Marciani Imperatoris remi-
sit vitium ordinationis Anatolii, cuius or-
dinatio celebrata fuerat à Conciliabulo
Ephesino cuius acta recisa fuerant Ita docet
Leo Epistola ad Marcianum Augustum.

Hilarius Epistola ad Ascanium permittit,
ut Episcopi ordinatio facta sine licentia Me-
tropolitani valida sit; licet Canones Nicæai
Concilii contrarium docerent.

Unde imo sæculo frequentiores cœperunt
esse dispensationes; adeo ut Ivo. Epis. 214.
hanc statuat regulam: *Tunc possunt, inquit, p̄sules legum rigorem propter necessitates Ecclesiasticas temperare, quando ipsa legum remissio nihil continet contra fidei veritatem, vel morum honestatem.*

Demum à trecentis ab hinc annis & ultra
is receptus est usus in Curia Romana, ut
pleræque dispensationes concedantur, qui-
bus, v. g. irregularitates tolluntur, impedi-
menta consanguinitatis & affinitatis in tertio
& quarto gradu amoventur, Beneficiorum
pluralitas conceditur, & penæ à Canoni-
bus constitutæ contra quædam crimina, vel

minuantur, vel tolluntur: ergo ex præxi Ecclesiæ dispensatio & peti & dari potest circa ea, quæ pertinent ad jus positivum.

Consecrarium hujus Doctrinæ.

Licet Ecclesia in concedendis dispensationibus circa ea, quæ pertinent ad jus positivum, non tam rigida sit, quam olim fuerit, non tamen culpanda est hæc Ecclesiæ benignitas: uti enim olim rationes habebat, quibus ad severiorem illam disciplinam movebatur; ita & nunc rationes habet, properas benigniore disciplina utitur.

Et sicut immunes sunt à peccato, qui sequi præsentem Ecclesiæ usum quadragesimam observant, non juxta severiorem antiquæ Ecclesiæ rigiditatem, sed secundum præsentis Ecclesiæ indulgentiam; ita immunes sunt à peccato, qui agunt juxta benigniorem præsentis Ecclesiæ disciplinam.

§. IV.

Quæ autoritas & jurisdictio requiratur, ut dispensatio sit valida.

Nota. Jurisdictio generatim est vis & autoritas jus dicendi.

Jurisdictio est duplex, fori interni, & externi.

Jurisdictio fori interni est vis & autoritas jus dicendi in eo tribunali, cuius solus Deus offensus, & homo offendens, & Sacerdos judex consciæ sunt; & talis Jurisdictio exercetur in tribunali poenitentiaæ; talis

Jurisdictio non exercetur , nisi ab eo , quⁱz
habet characterem Sacerdotalem.

Jurisdictio fori externi est vis & autoritas
jus dicendi in eo tribunali , cuius judicium
non solum Deo , sed & hominibus innotes-
cere potest ; & talis Jurisdictio exercetur
extra tribunal p^{re}nitentiæ , & non suppo-
nit characterem Sacerdotalem sed solum dig-
nitatem aliquam hierarchicam in Ecclesia ,
v. g. Prælaturam vel Ecclesiasticam vel Mo-
nachalem.

Jurisdictio fori externi alia est contentio-
sa , alia gratiosa seu voluntaria.

Jurisdictio contentiosa ea est , quæ exigit
processum forensem & judiciarum strepitum;
talis est ea quæ exercetur ad instantiam par-
tium litigantium , ut cum jus dicitur inter
litigantes.

Jurisdictio gratiosa ea est , quæ non exigit
processum forensem aut strepitum juridicum ,
& exercetur , vel ex motu proprio Prælati ,
vel ad Preces supplicantis conceditur dis-
pensatio in voto occulto in irregularitate oc-
ulta.

PROPOSITIO I. Ut dispensatio sit va-
lida , supponit in dispensante legitimam au-
toritatem & externi fori jurisdictionem vel
contentiosam vel gratiosam.

Probatur 1^o. Scripturâ. Autoritas dispen-
sandi juxta interpretes probatur his verbis
desumptis ex Math. 16. v. 8. Tu es Petrus , &
super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam...
Et tibi dabo claves regni cælorum , & quod-
cumque ligaveris super terram , erit ligatum
& in cœlis , & quodcumque solveris super ter-

ram , erit solutum & in cælis ; Atqui hæc verba important autoritatem legitimam & exteri-
ni fori Jurisdictionem vel contentiosam , vel
gratiosam & in Petro , & in Apostolis , eorum-
que successoribus quibus adaptantur : ergo ut
dispensatio sit valida , supponit in dispensan-
te autoritatem legitimam & Jurisdictio-
nem externi fori , aut contentiosam aut gratio-
sam ; inde est quod Lucas cap. 12. Loquens
de servo fideli in familia Dei ministrante
vult quod sit constitutus à Domino . id est
quod habeat legitimam autoritatem & con-
sequenter Jurisdictionem externi fori . *Quis
putas , inquit , est fidelis servus & prudens
quem constituit Dominus super familiam suam.*

2°. Ex D. Bernardo lib. de præcepto &
dispensatione cap. 2. *Non cuilibet , inquit ,
homini istud mutare . id est dispensare , fas fit
nisi solis dispensatoribus misteriorum Dei , id
est præpositis :* Ergo ex D. Bernardo ut quis
validè dispenseat debet esse præpositus seu
prælatus : ergo debet habere autoritatem
legitimam & externi fori Jurisdictionem vel
contentiosam , vel gratiosam .

3°. Et Jure Canonico. Vis dispensandi ,
in lege , in votis , juramentis , &c. Est actus
Jurisdictionis contentioæ vel ordinatioæ ,
vel delegatioæ · id supponit tamquam certum
Alexander tertius in cap. *De Peregrinationis* ,
& in cap. *ex multa* , de voto & voti redemp-
tione ; ideo Triden ses. 24 cap. 20 de re-
formatione causas matrimoniales & Crimina-
les , ut potè pertinentes ad forum contentio-
sum ad Episcopos remittit . *Causæ , inquit ,
matrimoniales & criminales (Idem die de dis-*

penstationibus) Non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum judicio etiam visitando; sed Episcopi tantum examini, & Jurisdictioni relinquuntur. Ideo Cabassutius lib. i. Theorice & praxis Juris Cano. cap. 8. num. 20. In summa, inquit, competit solis Ecclesiae Praetatis Jurisdictionem externi fori habentibus, illa sive relaxandi, sive commutandi voti potestas, & cum sit ista dispensatio actus Jurisdictionis.

4° Ratione. Talis esse debet, qui dispensat ab observatione legis, qualis est qui condit legem; quia dispensator & Legislator sunt unum & idem, eo solum discrimine, quod Legislator attendit ad casus communes; dispensator vero ad casus particulares qui à Legislatore prævideri non potuerunt: ergo sicuti ille qui condit legem debet habere legitimam autoritatem & fori externi Jurisdictionem, vel contentiosam vel gratiosam; ita & ille qui dispensat.

Non est tamen necesse quod semper dispensatio fiat processu contentioso: quando enim nulla intercessit, aut intercedere potest litis contestatio, tunc dispensatio potest fieri sine processu contentioso per solam declarationem factam ei qui dispensatur; quando vero intercessit aut intercedere potest litis contestatio, tunc dispensatio deber fieri in foro contentioso & scribi in instrumentis publicis. Inde est quod dispensatio voti, v. g. occulti, detur occulte, voti vero publici, publicè.

*conjectaria hujus Doctrinae.**De casibus, in quibus valida est dispensatio.*

CONSECTARIUM I. Toties valida est dispensatio, quoties datur ab eo qui supponit habere & legitimam autoritatem, & externi fori Jurisdictionem contentiosam, quamvis non detur processu contentioso; quia ad dispensationem validam requiruntur solum haec duo & autoritas legitima & Jurisdictionis externi fori, vel contentiosa, vel gratiosa.

Sic dispensatio data à Rege, à Republica, in his, quæ pertinent ad jus positivum, quod ipse Rex, vel Respublica statuit, est valida, quia habent autoritatem circa illa, v. g. *Rex & Respublica*, possunt dispensare contrahentes in solemnitatibus quibusdam requisitis solo jure positivo; Item eximere possunt aliquas personas particulares à vectigalibus solvendis, à tributis impendendis, modò illa exemptio non redundet in præjudicium aliorum.

Sic dispensatio data à Papa, à Concilio generali est valida in his, quæ pertinent ad jus positivum, quod ipse Papa, vel Concilium statuit. Unde, ait D. Them. q. 88. a. 12. ad tertium. *Dicendum*, inquit, *quod quia unus Pontifex idem dici potest de Concilio generali legitimo, gerit plenariè vicem Christi in tota Ecclesia ipse habet plenitudinem potestatis dispensandi in omnibus dispensabilibus votis;* Et proinde in aliis,

que jure Ecclesiastico constituuntur , sive fideles , sive Clericos , sive Episcopos , leges illæ respiciant ; sive cærenonias Sacramentorum , sive celebrationem festorum , sive observantiam jejaniorum , leges illæ præscribant ; sive excommunicationes , suspensiones , irregularitates & impedimenta matrimonialia statuant ; ita enim loquitur Innocentius cap. Proposuit , de concessione Prebendæ. Secundum plenitudinem potestatis , de jure , possumus supra jus dispensare. Item Papa & Concilium generale potest dispensare in votis simplicibus & in iuramentis ; quia , ut loquitur D. Thom. Juramenta & vota simplicia sunt dispensabilia ; an dispensatio possit cadere supra votum solemne , dicetur infra.

Sic dispensatio data ab Episcopo , à Synodo Diœcesana circa ea , quæ Episcopus , vel Synodus statuit , est valida ; quia Episcopus & Synodus autoritatem habent , in ea Ecclesiæ portione , quæ Episcopo & Synodo commissi est , juxta illud Pauli ad Corin. 10. v. 28. ubi sic Episcopos alloquitur. *Attendite uobis & universo gregi , in quo uos posuit spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei , quam l'acquisivit sanguine suo.* Et Can. 11. Apost. Præcipimus ut Episcopus res Ecclesiæ in potestate habeat : nam si preciosæ hominum animæ ejus fidei committende sunt : multo utique magis oportuerit & de pecuniis mandatum dare , ut illius arbitratu dispensentur. Et Concilium Lateranense sub Calisto 2. cap. 7. sic habet. *Immo sicut sanctis canonibus confitum est , cura & rerum Ecclesiasticarum dispen-*

satio in Episcopi judicio & potestate permaneat. Ideò Episcopus potest dispensare in omnibus, quæ sibi non reservavit summus Pontifex. Ita docet Panormitanus in cap. *In quibusdam*, de pœnis; ibi enim in textu dicitur quod posteri illius advocati, qui prælatum occiderat, quique in pœnam illius homicidii perpetrati erant à beneficio exclusi, poterunt tamen beneficium illud occupare: *Si cum eis fuerit dispensatum.* Dispensatio illa, inquit Panormitanus, ab Episcopo concedi potest; quia non reservatur à Papa. Idem docet Joannes-Andreas in cap. *Licet Canon.* ubi textus dicit, *quod ordinarius poterit super residentia dispensare:* Et quia, inquit Andreas, Papa non sibi reservat hanc dispensationem, ab Episcopo potest concedi: etenim generaliter dicitur in capite, *Nuper,* de sententia excommunicationis, *quod ubi conditor Canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur aliis facultatem relaxandi.*

Sic Papa electus & nondum consecratus, & Episcopus confirmatus à sede Apostolicâ, quamvis non consecratus poterunt dispensare in his, quæ suæ sunt Jurisdictionis, immò eam potestatem aliis delegare; quia hæc potestas ut potè Jurisdictione fori externi non supponit characterem ordinis; sed solùm dignitatem vel Ecclesiasticam, vel Monachalem.

Sic Abbas potest dispensare cum suis subditis in his, quæ pertinent ad Monasticas observantias non necessariò & essentialiter observandas; quia possunt intervenire casus, in

quibus est necessaria hujusmodi dispensatio : habet enim circa id autoritatem & Jurisdictionem , immò potest aliquando absolvere in his quæ reservantur Pontifici , ideo Monachos se ad invicem percutientes absolvit Abbas cap. *Monachi* de sententia excommunicationis ; & Fratres Hospitalis Jerosolimitani excommunicati pro injectione manuum in Clericum seu confratrem , absolvi possunt per priorem ; nisi excessus fuerit enormis cap. *Canonica constitutione* , de sententia excommunicationis.

De casibus, in quibus invalida est dispensatio.

CONSECTARIUM II. Toties dispensatio est invalida & nulla , quoties datur ab eo , qui non habet , vel autoritatem legitimam , vel Jurisdictionem contentiosam circa eam materiam , circa quam cadit dispensatio ; quia non est major defectus in dispensante quam defectus autoritatis.

Sic dispensatio data à Laïco , in his , quæ spectant jus Canonicum , & dispensatio patrier data à superiore Ecclesiastico in his , quæ spectant jus civile , est invalida & nulla ; quia Laicus non habet autoritatem circa spiritualia nec superior Ecclesiasticus , ex vi solius potestatis Ecclesiasticæ , circa temporalia hujus seculi .

Sic dispensatio data à Rege , à Republica circa ea , quæ pertinent ad jus naturale & divinum est invalida & nulla ; quia superior politicus juri naturali dominari non debet , sed subesse. Idèò non potest dispensare circa

370 MORALIS CHRISTIANA.
conditiones in contractibus essentialiter &
necessario observandas.

Sic dispensatio data à superiore Ecclesiastico, v. g. à Papa à Concilio generali, ab Episcopo, à Synodo Diocesana, in his, quæ pertinent ad jus naturale & positivum divinum est invalida & nulla; quia superior Ecclesiasticus juri naturali & divino positivo dominari non debet; sed subesse.

De jure naturali quoad prima principia & generalia præcepta sic loquitur D. Thom. 1. 2. q. 97. a. 4. ad 3. *Dicendum autem, quod lex naturalis, in quantum continet præcepta communia, quæ numquam fallunt, dispensationem recipere non potest; in illis vero præceptis, que sunt quasi conclusiones præceptorum communium, quandoque per hominem dispensatur, putà quod mutuum non reddatur proditori patriæ, vel aliquid ejusmodi.*

De his vero, quæ absolutè quamdam deformitatem important, quæque videntur contraria juri naturæ; qualis est pluralitas Præbendarum in eodem beneficiario, qualis est non residentia Clericorum in suo Beneficio; ita censet D. Thom. scilicet quod dispensatio sit valida, si reperiantur omnes circumstantiæ difformitatem legi naturali oppositam abstergentes; invalida vero si absit aliqua ex illis circumstantiis: *Quia dispensatio*, inquit D. Thom. *Ad jus naturale non perinet, sed solum ad jus positivum.* Quodlibeto 9. a. 15. idem docet Fagnanus ad cap. *Quia, de Præbendis num. 13. Cessantibus*, inquit, *ejusmodi circumstantiis, quæ deformitatem, eeu inordinationem tollunt, licitum non est plures*

Præbendas tenere, etiam cum dispensatione, eo quod dispensatio non auferat ligamen juris naturalis, sed solum juris positivi. Idem dicendum de residentia Clericorum, quam supponimus juris esse naturalis..

De præceptis juris positivi divini, v. g. de præceptis Evangelicis ita loquitur D. Thom. I. 2. q. 97. a. 4. Docens dispensationem circa illa præcepta esse invalidam, nisi constet, quod Deus talem dispensationem dispensatori commiserit. *Ad legem divinam, inquit, ita se habet quilibet homo, sicut persona privata ad legem publicam, cui subjiciatur: unde sicut in lege humana publica non potest dispensare, nisi ille, à quo lex autoritatem habet, vel ille, cui ipse commiserit; ita in præceptis, quæ sunt juris divini, nullus potest dispensare, nisi Deus, vel is, cui ipse specialiter commiserit.*

Sic dispensatio generalis data ab Episcopo in his, quæ pertinent ad totam Ecclesiam, v. g. in festis solemnioribus universalis Ecclesiæ consensu institutis, in observantia quadragesimæ & jejuniorum quatuor temporum: illa, inquam, dispensatio generalis est invalida & nulla, quia Episcopus non habet autoritatem supra leges universalis Ecclesiæ consensu constitutas.

Dixi: *Dispensatio generalis;* quia possunt contingere casus in aliqua Diœcesi, v. g. penuria, sterilitas & alia hujusmodi, in quibus Episcopus subditis suis declarare potest quod leges Ecclesiasticae, vel de jejunio, vel de abstinentia in talibus circumstantiis non ligent,

Sic dispensatio data ab Abate circa res pertinantes ad Jurisdictionem, vel Episcopalem, vel Papalem est nulla; quia non habet auctoritatem circa ea, quæ ad Papam vel Episcopum pertinent.

Sic dispensatio data à superiore vel politico, vel Ecclesiastico, v. g. à Rege, à Republica, à Papa, ab Episcopo in præjudicium tertiae personæ, quæ jus habet naturale exigendi quod exigitur, est invalida & nulla; quia est contra jus naturale, v. g. qui sciens & volens juxta leges promisit aliquid alteri, vel cum alio contraxit, non potest liberari ab illo promisso, vel ab illo contractu per solam politici superioris dispensationem: Item qui juramento liberè & non coacte spopondit aliquid alteri, non potest ab hoc juramento absolvī à superiore Ecclesiastico contra voluntatem illius, cui facta est promissio juramento firmata,

Sic dispensatio in votis simplicibus, in iuramentis in lege Ecclesiastica, vel civili facta à confessario qui habet solum in foro interno Jurisdictionem, vel ordinariam ex vi beneficii, ut Parochi, vel delegatam ex vi approbationis, ut simplices Sacerdotes approbati tantum ad audiendas confessiones, est nulla; quia non habet auctoritatem legitimam & Jurisdictionem contentiosam, quæ requiritur; ideo quando confessarius reperit pœnitentem verè ligatum, vel voto, vel iuramento, verè irretitum, vel excommunicatione sibi reservata, aut suspensione, aut irregularitate, non debet eum absolvere; quia non est in statu, in quo possit recipere absolutionem,

absolutionem , nec potest ei dispensationem concedere ; quia non habet autoritatem , sed debet pœnitenti declarare , quod ei recurrentum sit , vel ad Papam , si res sit de Jurisdictione Papali , vel ad Episcopum , si res sit de Jurisdictione Episcopali , vel ad Abbatem , si res sit de Jurisdictione Abbatis.

CONSECTARIUM III. Toties dispensatio est invalida & nulla , quoties datur ab inferiore Prælato circa ea , quæ Prælatus superior sibi justè & legitimè reservarit ; quia post reservationem Prælatus inferior nec Jurisdictionem habet , neque autoritatem.

Sic Episcopus non potest dispensare in his , quæ Papæ vel de jure , vel ex consuetudine reservantur. Potest vero dispensare in his , quæ Papæ non reservantur.

Istæc autem vota reservantur summo Pontifici : primò omne votum solemne ; secundò votum perpetuae castitatis ; tertio votum ingredients religionem approbatam ; quartò votum Peregrinationis , vel ad limina Apostolorum , vel ad Jerusalem , vel ad sanctum Jacobum. Ita D. Thom. 2. 2. q. 88. a. 12.

Papæ ista pariter reservantur. 1°. Dispensatio in impedimentis matrimonium ditimentibus. 2°. Dispensatio deducta ad forum contentiosum , immò occulta , quæ provenit ex homicidio voluntario.

Papæ reservantur casus sequentes juxta usum Ecclesiæ Gallicanæ. 1°. Gravis & medocris percussio Clerici , vel Monachi , ac violentia , si sit publicè nota. 2°. Simonia realis & confidentia publicè nota. 3°. Crimen

incendii ex deliberata malitia post denuntiationem Ecclesiasticam: 4°. Rapina rerum Ecclesiasticarum cum effractione post denuntiationem Ecclesiasticam.

In praedictis votis & impedimentis matrimonialibus, & in dictis irregularitatibus Episcopus non potest dispensare; quia reservantur Papæ. In casibus similiter praedictis non potest absolvere; quia reservantur Papæ.

Sed Episcopus potest hæc omnia quæ subsequuntur. 1°. Dispensare in omnibus votis simplicibus, exceptis his, de quibus supra. 2°. Dispensare in omnibus irregularitatibus occultis quantumvis olim reservatis; quia jam ex Triden. non reservantur. 3°. Dispensare in quarto, immo tertio gradu affinitatis & consanguinitatis, si talis sit usus antiquus suæ Diœceseos & non aliter. 4°. Absolvere in levi percussione Clerici publicè nota, immo in gravi & mediocri non publicè nota. 5°. In incendio non denuntiato. 6°. In rapina rei Ecclesiastice sine effractione, vel cum effractione, si non sit denuntiata.

Deum Episcopus potest, vel dispensare, vel absolvere in reservatis Papæ, quando dispensandi, vel absolvendi non possunt facile ad summum Pontificem recurrere, vel ob juvenilem, aut senilem ætatem, vel ob infirmitatem, vel ob paupertatem,

Sic propter similem rationem confessarii, sive habentes Jurisdictionem ordinariam ut curati, vel delegatam, ut Sacerdotes approbati ab Episcopo, non possunt absolvere in

tribunali pœnitentiæ à casibus Papæ reservatis ; quia non habent autoritatem , nec Jurisdictionem circa illos ; casus autem Papæ reservati sunt quatuor supra dicti.

Confessarii non possunt pariter absolvere à casibus Episcopo communiter reservatis : casus autem communiter Episcopis reservati , sunt septem sequentes. 1°. Clerici percussio levis. 2°. Incendium non denuntiatum. 3°. Rapi- na in Ecclesia cum effractione non denuncia- ta. 4°. Crimen hæresis. 5°. Duellum. 6°. vio- latio clausuræ regularis. 7°. Abortus procu- ratus fœtus animati.

Confessarii non possunt similiter absolve- re à casibus ab Episcopo sibi specialiter re- servatis ; quia non habent autoritatem & Ju- risdictionem circa illos : casus autem specia- liter Episcopo reservati sunt illi , quos quilibet Episcopus sibi reservat pro bono suæ Dio- ceseos ; quos quilibet confessorius tenetur scire. Hæc cursim attigimus ; quia videbantur sequi ex principio supra statuto , sed ea fusius suo loco tractabimus.

§. V.

*An licita sit dispensatio data sine causa in his ,
quæ pertinent ad jus naturale vel positivum
divinum necessarium ad nostram salutem ex
ordinatione Dei & ex electione nostra.*

Juxta omnes Autores dispensatio non po- test , vel dari , vel peti sine causa circa ea , quæ pertinent ad jus , vel naturale , vel po- sitivum divinum inductum ex ordinatione

Dei & ex nostra electione, qualia sunt vota & juramenta.

Probatur 1º. Scripturâ. Dispensans debet esse fidelis & prudens, Lucæ 12. Ergo dispensans debet habere aliquam causam, ut dispensem.

2º. Ex Bernardo ad Eugenium lib. 3. cap. 4. *Ubi necessitas urget, inquit, excusabilis dispensatio; ubi utilitas provocat communis, & non propria, est fidelis dispensatio:* Ergo si nulla dispensatio possit peti, vel dari licet sine causa, à fortiori ea, quæ cadit in eo, quæ pertinent ad jus naturale vel positivum divinum, inductum ex ordinatione Dei & ex nostra electione.

3º. Ratione. Dispensatio in votis & juramentis, vel est relaxatio strictæ obligatio-nis facta à legitimo superiore, ut tenent quidam Canonistæ; vel est declaratio facta à legitimo [superiore, quâ superior legitimus declarat votum & juramentum in tali casu non obligare, ut explicat D. Thom. Atqui neutrum potest fieri sine causa; nam si superior dispensem, ut volunt Juristæ, cum nullum habeat jus circa jus naturale, quale est jus servandi vota & juramenta, non potest sine causa circa illud dispensare: Et si superior tantum declarat vota & juramen-ta in tali casu non obligare, ut explicat D. Thomas, talis declaratio non potest fieri pariter sine causa.

Demum, sive dispensatio fiat per relaxa-tionem, sive fiat per declarationem, & relaxans, & declarans esse debet minister fi-delis ædificationem procurans, & non des-

tructionem : ergo non potest dispensare sine
justa causa.

Consecratio bujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Si Papa dispenset in votis , & in juramentis sine ulla causa , dispensatio est illicita. De hoc ita D. Thom. 2. 2. q. 88. a. 12. ad 2. *In manifestis*, inquit , *dispensatio Prelati non excusaret à culpa* : puta si *Prelatus dispensaret cum aliquo super voto de ingressu religionis, nulla appartenenti causa obstante* : Ergo censet D. Thomas , quod dispensatio in votis & juramentis data sine causa est illicita , & non excusat à peccato. Cui concordat D. Bernardus scribens nepoti suo Epis. i. ubi sic habet : *Quid tibi frustra quispiam blanditur de absolutione Apostolica, cuius conscientiam divina tenet ligatam sententia.*

C O N S E C T A R I U M II. Si delegatus à Papa dispenset in votis , & in juramentis sine ulla causa , dispensatio est illicita ; quia delegatus non habet maiorem autoritatem , quam Papa.

C O N S E C T A R I U M III. In congregatis nuper erectis ; qualis est Congregatio Doctrinæ Christianæ , Missionis , &c. In quibus subditi earum Congregationum eliciunt vota simplicia castitatis , paupertatis , obedientiae , & juramentum in ea Congregatione perseverandi , vota , inquam , eliciunt simplicia , & juramentum dispensandum , vel à summo Pontifice , vel à capitulo generali , vel à definitorio ; dispensatio , inquam , il-

la , vel data , vel petita sine ulla causa , est illicita , sive detur à Papa , sive à capitulo generali , sive à definitorio : quia generaliter omnis dispensatio in votis & juramentis debet fieri cum causa.

C O N S E C T A R I U M IV. Relaxatio juramenti perseverandi in dicta Congregatione , petita , vel data sine ulla causa est illicita ; quia juramentum illud , non est merus contractus civilis , qui per mutuam contrahentium voluntatem rescindatur , vel merum juramentum , cuius vis relaxetur per concessionem Congregationis in cuius utilitatem factum est ; sicut juramentum promissorum relaxatur per concessionem illius , in cuius commodum sit : sed juramentum perseverandi in dictis Congregationibus est actus religiosus , quo subditus Congregationis ingreditur talem statum potius quam alium , ut se Deo consecret , ut societati Ecclesiastice , scilicet Congregationi spiritualiter serviat , & Ecclesie utilior evadat , & ut firmius propositum illud figat , Deum vocat in testem juramenti sui : ergo juramentum illud non potest relaxari , sine aliqua causa , que cedat in bonum spirituale jurantis , in utilitatem spirituale Congregationis , & in ædificationem Ecclesie , ut docet D. Thom. 3. 2. q. 89. a. 9. ad 2. ubi ait , quod cum illud , quod promittitur , cedit in honorem Dei ? Tunc ille , cui promittitur , non potest absolvere promittentem : quia promissio non est facta ei principaliter , sed Deo .

§. VI.

Quæ causa requiratur, ut dispensatio sit licita in his, quæ pertinent ad jus naturale & positivum divinum, qualia sunt vota & juramenta.

Nota. Dicemus, ubide voto & juramento, quod votum & juramentum non obligent, quoties sunt de re, quæ est vel mala, vel inutilis, vel majoris boni impeditiva, ut loquitur D. Thom. 2. 2. q. 88. a. 9. Hæc tria suo loco explicabuntur; hic jam queritur, quæ causa, quodve motivum movere debeat superiorem ad dispensandum in votis & juramentis; ideo sit.

PROPOSITIO unica. Triplex causa potest esse motivum dispensandi in votis & juramentis, scilicet, utilitas spiritualis illius, qui dispensatur, bonum Ecclesiæ, & promotio gloriae Dei.

Probatur 1^o. Scripturâ. Videmus, quod in dispensatione, quæ facta est Corinthio incestuoso, cui non quidem votum, aut juramentum remissum est, sed remissa est pœnitentiæ pars, cui addictus fuerat: videmus, inquam, ad triplicem illam causam attendisse Paulum; nam attendit primò ad bonum spirituale Corinthij, ut denotat his verbis: *Ne fortè abundantiori tristitia absorbeatur, qui ejusmodi est.* Secundò attendit ad bonum Ecclesiæ & gloriam Dei, ut denotat his verbis: *Nam ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.* Et ad-

dit, ut non circumveniamur à Satana; non enim ignoramus cogitationes ejus. Quæ omnia denotant Paulum in hujusmodi remissione quæsiisse bonum spirituale Corinthi, bonum Ecclesiæ, & gloriam Dei: ergo in dispensatione votorum & juramentorum debent superiores simili motivo duci.

2°. Ex D. Bernardo lib. 3. de consid. ubi sic habet: *Vbi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est, utilitas dico communis; Qualis est utilitas spiritualis illius, qui dispensatur, bonum Ecclesiæ, & promotio gloriæ Dei; Non propria, qualis est utilitas temporalis illius, qui dispensat, vel dispensatur. Nam cum nihil horum est, id est, scum non intervenit triplex illa utilitas spiritualis: Non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est,* inquit idem Bernardus.

3°. Ratione. Dispensatio in votis & juramentis debet esse non in destructionem, sed in ædificationem: ergo hujusmodi dispensatio debet cadere in utilitatem spiritualem illius, qui dispensatur, in bonum Ecclesiæ, in qua sit dispensatio, & in gloriæ Dei, in cuius autoritate fit dispensatio.

Consecratio hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Illicita est dispensatio in votis & juramentis, cum dispensans solam attendit utilitatem temporalem, quam ex tali dispensatione colligit. Primo quia omnis dispensatio debet fieri gratis, juxta illud: *Gratis accepistis, gratis date;* quia ita jubet Tridentinum ses 24. cap. 5. *Gratis à*

quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum. Tertiò, quia ubi dispensatio, vel in votis, vel in juramentis, vel in pœnis pecunia emitur, statim, ut monet Arnobius lib. septimo, via sceleribus aperitur. Crescit enim, inquit, peccantium multiudo, cum redimendi peccati spes datur, & facile tur ad culpas, ubi est venalis ignoscendum gratia.

C O N S E C T A R I U M II. Illicita est dispensatio in votis & juramentis, quæ datur, non in utilitatem spiritualem illius, qui dispensatur, sed ad fovendam ejus negligentiam; quia maledictionem minitatur Deus prælatis omnibus, qui subditorum peccatis adulantur. Ideoque qui dispensatur debet, ut ait Concil. Colonense, examinare, num à dispensatore querat velamentum potius, quam medicamentum; licentiam potius, quam scientiam; suavitatem potius, quam veritatem, ut ait Bernardus Epif. 7.

C O N S E C T A R I U M III. Dispensatio est licita, quando causa spiritualis dispensandi est, vel necessaria, vel sufficiens, vel dubia; quia tunc dispensans non agit sine causa. Causa est necessaria, cum reperitur major utilitas spiritualis, dando dispensationem, quam denegando; & tunc nedum potest, sed deber dari dispensatio, v.g. vovit quis castitatem, longo experimento constat, quod nequeat se continere, melius est, ut solitus à voto per dispensationem, legitimum matrimonium contrahat, quam ligatus voto turpibus scortationibus foedetur; Melius est enim nubere, quam uri. Causa est sufficiens, cum

æqualis reperitur utilitas spiritualis , dando dispensationem , quam denegando , v. g. vovit quis religionis ingressum , statim ac religionem cogitat , vix est sui compos , tristitia afficitur , exercitiis spiritualibus vacare non potest , tunc dari & peti potest dispensatio , ut dispensatus pietatis exercitiis tranquillus vacer.

Causa dubia est , cum dispensans dubitat , quid magis proficiat , an dispensationis concessio , an ejus negatio . Tunc in tali dubio dispensans potest commutare votum inæquale , vel in melius bonum . Si autem , inquit D. Thom: 2. 2. q. 88. a. 12. ad 2. *Esset causa apparenſis , dispensandi , per quam ſaltem in dubium verteretur , an licita ſit dispensatio , nec ne : Posſet dispensatus ſtare iudicio prælati dispensantis , vel commutantis votum ; non tamen iudicio proprio.*

§. VII.

An licita ſit dispensatio data à supremo Legiſlatore , quando dispensatio eſt circa ea , que pertinent ad jus positivum.

PROPOSITIO I. Juxta Panormitanum , Felinum , & alios , dispensatio data à supremo Legiſlatore , etiam fine cauſa , eſt licita , v. g. Dispensatio data à Rege circa jus civile ; dispensatio data à Papa circa jus Ecclesiasticum : valida eſt , inquiunt , & licita talis dispensatio ex plenitudine potestatis ; sed hæc ſententia juxta alios graviores autores , eſt minus probabilis , & minus

tuta. Itaque in praxi dicendum, quod dispensatio data sine causa, etiam à Legislatore supremo, circa jus positivum, est illicita, v. g. dispensatio data à Papa sine causa circa ea, quæ pertinent ad jus positivum, vel generale, vel particolare. De Regia potestate non loquimur; quia circa id possunt esse rationes speciales.

Probatur 1º. Ex Scripturâ. Qui dispensat in lege, debet esse fidelis & prudens, juxta illud Lue. 12. *Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.* Infidelis erit dispensator, inquit D. Thom. Si non habet intentionem ad bonum commune, imprudens autem, si rationem dispensandi ignoret 1. 2. q. 97. a. 4. in corp. Ergo supremus etiam dispensans, qualis est Papa in spiritualibus, non potest dispensare etiam in jure positivo sine causa, & sine cognitione.

2º. Ex Trid. ses. 25. cap. 18. ubi loquens de dispensatione à lege in certis casibus facienda, sic habet: *Quod si urgens justaque ratio, & major quandoque utilitas postulaverit, cum aliquibus dispensandum esse, id causa cogniti, ac summa maturitate, atque gratis à quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit, erit praestandum: aliter facta dispensatio, subreptitia censeatur:* Ergo dispensatio à quocumque data sine causa est illicita.

3º. Ratione. Autoritas suprema, quam habet Papa circa spiritualia, venit à Deo; quæ autem à Deo sunt, ordinata sunt: ergo hæc potestas suprema est in ædificationem, & non in destructionem, ut dicit Pau-

lus : Ergo talis est , ut valeat , non quidem vigorem legis destruere , sed cum causa suppetit , temperare .

Et sicuti lex lata à supremo etiam Legislatore , si sit injusta , non obligat : Ita dispensatio data à supremo dispensante , seu Papa , si sit injusta , non absolvit . Ratio est D. Thom. 2. 2. q. 97. a 4. in corpore .

Consecrarium hujus Doctrinae.

Illicita est dispensatio data sine ulla causa etiam à summo Pontifice circa ea , quæ sunt statuta à Canonibus universalium Conciliorum ; licita vero , si detur cum aliqua causa justa , de hoc ita D. Bernardus lib. de Præcep. & dispensat . Ubi citans Leonem & Gelasium , sic habet : *Ubi necessitas non est , inconvertibilitia Sanctorum Patrum maneant decreta ... Ubi necessitas non est , nullo modo Sanctorum Patrum constituta violentur.* Et deinde infert : *Ubi ergo necessitas fuerit , ad utilitatem Ecclesie , qui potestatem habet , eā dispenset ; ex necessitate enim fit mutatio legis.* De hoc idem sc̄re habet Symmachus ad Aonium Episcopum Arelatensem scribens his verbis : *Quod sit præter regulam , inquit , modo sit ex justa causa , non insringit regulam , quam sola per vicacia & antiquitatis contemptus laedit.* Nam quamvis à patribus statuta , diligentia observazione , & observanti diligētia sint custodienda , nihilominus proprius aliquod bonum de rigore legis aliquid relaxatur : *quod & ipsa lex carvisset , si providisset.* Et saepe crudele esset insistere legi , cum observantia ejus esse praedi- cabilis Ecclesie videtur .

Illicita

Illicita est pariter dispensatio data sine causa ab Episcopo circa ea, quæ statuta sunt per Synodum Diocesanam; licita vero, si detur cum legitima causa.

Illicita est pariter dispensatio data sine causa ab Abbe circa ea, quæ sancta sunt per regulam; licita vero, si detur cum causa. De licita dispensatione sic loquitur Goffridus Vindocinensis in opere cap. 5. *Dispensationes*, inquit, aliquando facienda sunt in Ecclesia; non quidem amore pecuniae, vel quolibet humano favore, sed pia & misericordi intentione: tunc enim à Pastore Ecclesiae dispensatio piè & misericorditer fieri dicitur, cum aliquid minus perfectè ad tempus sit ab illo, vel fieri permittitur, non voluntate suâ, sed aliorum necessitate, ne ipsis videlicet fides Christiana periclitetur.

De illicita dispensatione sic loquitur Bernardus lib. de dispens. & præcept. cap 4. *Supra fratrum sane transgressiones*, inquit, non supra patrum traditiones constituitur, qui Abbas eligitur, mandatorum cultor, & ulti orationum: arbitror namque sanctas illas observationes prælatorum, providentiae & fidei tuæ creditas, non subditas voluntati.

§. VIII.

Quæ causa requiratur, ut dispensatio data, vel à Papa, vel ab inferioribus Prælatis circa ea, quæ pertinent ad jus positiuum, sit licita.

PROPOSITIO. Ut dispensatio data,
Tom. I. Kk

vel à Papa, vel ab inferiori Prælato sit licita, sufficit, quod causa dispensandi sit proportionata & personæ & rei, circa quam sit dispensatio, v. g. quod causa sit communis, si dispensatio fiat circa legem communem, quod causa sit particularis, si dispensatio fiat circa legem particularem, quod usus sit communis, si dispensatio fiat circa rem, quæ solo usu & consuetudine constat.

Probatur. Tunc causa censetur justa, quando rei, cui comparatur, æquiponderat: ergo dispensatio data circa legem communem ob causam communem, circa legem particularem ob causam particularem, circa rem solâ consuetudine vigentem ob consuetudinem, debet censeri justa.

Confessaria hujus Doctrinae:

C O N S E C T A R I U M I. Juxta D. Thom. illicita est dispensatio data circa legem communem & generalem sine causa communi & generali. En verba Sancti Doctoris 1. 2. q. 97. a. 4. ad 3. *Quando cum aliquo dispensatur, ut legem communem non servet, non debet fieri in prejudicium boni communis, sed ea intentione, ut ad bonum commune proficiat.*

Sic dispensatio data alicui nationi, vel circa abstinentiam à carnibus, vel circa observantiam jejunitorum, vel circa celebrationem festorum, esset illicita, si non daretur ob causam communem.

C O N S E C T A R I U M II. Juxta D. de Marca lib. 3. Concord. cap. 14. & 15. Dispensatio data à summo Pontifice alicui sin-

gulari personæ circa Canones Conciliorum generalium, etiam sine causa publica, est valida & licita; dum modo hæc dispensatio non tendat ad labefactandum Ecclesiæ statum, sed sit causa aliqua particularis, quæ possit cedere in bonum ipius Ecclesiæ: quia pro dispensatione circa personam particularem sufficit causa particularis.

Sic privatum meritum Ambrosii & Nectarii effecit, ut licet Neophiti, ordinarentur.

Sic ex cap. *Innotuit* de electione multa inducere possunt ad dispensationem, scilicet, litterarum scientia, morum honestas, virtus, & fama personæ. Sic cap. *De multa* de Præbendis. Sublimitas & litteratura personæ potest esse causa dispensandi in pluralitate beneficiorum: *Circa sublimes tamen & litteratas personas, quæ majoribus beneficiis sunt honorandæ, cum ratio postulaverit, per sedem Apostolicam poterit dispensari*, inquit Canon.

Sic juxta eundem Dominum de Marca litteræ sunt variæ dispensationes circa Canones Conciliorum universalium ex solo usu iana in Romana curia vigente; quia consuetudo legitima ex autore, ex objecto, ex fine, ex modo vim habet legis.

Sic Episcoporum consecratio, quæ juxta Nicænum sine Metropolitano fieri non debet, post abrogatam Pragmaticam-Sanctionem inconsulto Metropolitano tribus Episcopis ad arbitrium Papæ committitur.

Sic duabus Ecclesiis adscribuntur frequenter Clerici contra Canones Concilii Chalcedonensis.

Sic pluralitas beneficiorum contra Canones Lateranenses & Tridentinos ex dispensatione cum causa permittitur.

Sic novi ordines Religiosi contra Concilium Lateranense ex dispensatione Papæ instituti.

Sic resignationes in favorem olim in Ecclesia incognitæ, solo usu autoritate Papæ jam frequentissimæ.

Sic impedimenta matrimonii solo jure positivo Ecclesiastico inducta, per dispensationem Papæ tolluntur; adeo ut post talem dispensationem, & matrimonia habeantur valida, & liberi procreati censcantur legitimi.

§. IX.

De variis causis & motivis dispensandi & concedendi privilegia.

Causæ dispensandi ad sex reduci possunt capita. Primum est generalis quædam consuetudo, seu conducentia, ut loquitur Cyprianus. Sic nostro tempore facile dispensantur pœnitentes ab exercitio solemnioris pœnitentiae, quam olim Episcopi, insignioribus peccatoribus imponebant; & in hoc sequimur exemplum Cypriani, qui ita loquitur Epist. 55. ad Cornelium: *Remitto omnia, multa diffimulo, studio & voto colligendæ fraternitatis, etiam quæ in Deum commissa sunt non pleno iudicio Religionis examino, delictis, plusquam oportet, remittendis penè ipse delinquo: amplector promptâ & plenâ dilectione cum pauci,*

tenitâ revertentes, peccatum suum satisfactione humili & simplici confientes.

Secundum est amor pacis, periculum schismatis motivum est dispensandi. Sic solebat pœnitentia olim remitti, quando periculum schismatis inerat, ut docet Aug. lib. contra Parmenianum, & quando timebatur, ne pœnitentes ab Ecclesia discederent, ut docet Basilius Can. 3. de quo ita Hildebertus Cenomanensis Episcopus relatus in spicilegio Dacherii. Tom. 4. p. 250. *Multa, inquit, ex loco, ex tempore, differentius fiunt; rector Ecclesiae numquam aut dissimulabit, aut faciet, quæ accusat, cum viderit malum Schismatis imminere, Canonum scita mutabit; debet cessare censura, cum dissoluatur unitas, charitas lœditur, pax vacillat.*

Tertium, utilitas, vel fidelium, vel Ecclesiæ. Sic facile dispensantur hæretici à quibusdam Ecclesiæ observantiis, v. g. ab abstinentia ororum, laeticiniorum, ut promptius ad Ecclesiam redeant. Exemplum dedit Aug. Epist. 50 restituens Sacerdotes lapsos in gradum pristinum: *Hoc non fieret, inquit, quoniam fieri non deberet, nisi pacis ipsius compensatio- ne sanarentur.* Hoc fecit pariter Cyprianus, qui Trophimum Episcopum lapsum in Idolatriam recepit ad Communionem; quia cum tota sua plebe rediit ad Ecclesiam. Ita Cyprianus Epist. ad Antoninum. Id confirmat Bernardus his verbis, lib. de dispensatione & præcepto cap. 2. *Novit fidelis ser- vus & prudens ibi tantum usurpare dispensationem, ut ille bonam possit habere recompensati- nem,*

Quartum, qualitas personæ est motivum dispensandi. Sic inter magnates facile dispensatur in impedimentis affinitatis & consanguinitatis, matrimonium solo jure Ecclesiastico impedientibus; de quo ita Arnulphus Lexovi. Epist. 26. ad summum Pontificem, ubi sic habet: *Tunc enim, inquit, in potestate judicis est mollire sententiam, & minus judicare, quam leges, cum rerum & personarum merita postulant, aut instantia necessitatis extorquet.*

Quintum, multitudo est motivum dispensandi. Sic quando sunt multi in eodem reatu, facile cum illis dispensatur in his, quæ juxta rigidiorem disciplinam essent observanda; de quo ita Innocentius I. Epist. 22. ad Episcopos Macedoniæ cap. 6. *Quoties, inquit, à populis, aut à turba peccatur; quia in omnes propter multitudinem non potest vindicari, inultum solet transire.*

Sextum, Religionis status est motivum dispensandi. Sic dispensantur Religiosi ab ea irregularitate, quæ non provenit ex proprio delicto v. g. ex defectu natalium; adeo ut filii presbiterorum ex sola status religiosi professione promoveri possint ad ordines sine dispensatione, ut habetur cap. *Ut filii presbiterorum, de filiis presbiterorum, sed non ad dignitates sive prælationes cap. Nihil in tua*, eodem titulo.

§. X.

Quandonam cesset dispensatio & privilegium.

Dispensatio & privilegium debent cessare

hoc ipso, quo præsumitur superiorem nolle justè privilegium & dispensationem ulterius valere; nam sicuti lex non ligat, nisi juxta rationalem intentionem Legislatoris: ita dispensatio & privilegium non debent valere, nisi juxta rationalem intentionem Legislatoris dispensantis.

Ideo in sequentibus casibus cessant dispensations & privilegia.

1°. Si per subreptionem fuerint concessæ, id est, per expressionem falsi, vel per obrep-tionem, id est, reticentiam veri; quia tunc superior, utpote deceptus, non censetur velle dispensare cap. *Ex parte de rescriptis.*

2°. Si dispensatio & rescriptum contrarien-tur constitutioni, & nulla fiat mentio con-stitutionis; nam tunc dispensatio præsumitur subrepta cap. *Cum nos*, de his, quæ fiunt à Prælatis sine consensu capituli.

3°. Si dispensatio tollat consuetudinem, ejusque mentionem non faciat; quia tunc su-perior præsumitur deceptus cap. *Licet*, de constitutionibus in 6.

4°. Si dispensatio sit contra sententiam latam, ejusque mentionem non faciat; nam tunc superior præsumitur deceptus cap. *Inter dilectas*, de fide instrumentorum.

5°. Si dispensatio detur lite pendente, & non fiat mentio litis; quia superior præsu-mitur deceptus cap. *Causam*, de testibus.

6°. Dispensatio cessat, cessante motivo principali dispensationis; quia cessat tunc ratio dispensandi cap. *Cum cessante*, extra de appellationibus.

Sic dispensatus in castitate, religione,

juramento propter morbiū , cessante morbo , non manet dispensatus ; secūs si ratio minus principalis cessaverit.

7°. Cessant dispensatio & privilegium , cum nocet illi , cui concessum est ; nam quod conceditur ob gratiam alicujus , non est in ejus dispendium retorquendum.

8°. Dispensatio & privilegium cessant per revocationem expressam dispensantis ; etiam si sine justa causā revocetur.

9°. Cessat per renunciationem ejus , cui conceditur dispensatio . Cap. numquam De decimis.

10°. Amittitur privilegium per abusum ; nam privilegium meretur omnino amittere , qui permisla abutitur potestate.

§. XI.

Quid faciendum confessario , ad quem accedit pœnitens , qui eget dispensatione.

Primo , confessarius debet præmonere pœnitentem eas dispensationes , in quibus , vel verum reticetur , vel falsum adducitur , nullius valoris esse coram Deo , magisque nocturas animarum saluti , quam profuturas ; quia omnis dispensatio conceditur sub hac conditione tacita , vel expressa . Si preces veritate nitantur : Afferendumque est pœnitenti exemplum Ananiz & Saphiræ , qui subita morte perierunt , eo quod , inquit Scriptura , mentiti essent non hominibus , sed Deo .

Secundo , confessarius post auditum pœnitentem de casu , circa quem dispensationem

postulat, debet supplicationem, ut dicunt, efformare, in qua factum, circa quod petitur dispensatio, nitidè & sincerè exponatur, ut superior dispensaturus clare cognoscat id, circa quod petitur dispensatio. Si pœnitens causas habeat petendi dispensationem, afferendæ sunt in supplicatione sine ulla fraude, sine ullo dolo; si vero nullam causam habeat, non excogitanda sunt motiva fictitia, sed dispensatio petenda est loco gratiæ.

Tertiò, confessarius debet supplicationem illam, in qua exponitur casus, circa quem petitur dispensatio, afferre Episcopo, vel ejus Vicario Generali, si dispensatio pertineat ad Episcopum; vel eam afferre ad expeditionarium, vel, ut dicunt, Bancarium Romanæ Curiæ, si dispensatio pertineat, vel ad Papam, vel ad Pœnitentiariam Romanam.

Quartò, confessarius debet pœnitentem præmonere necessarium omnino esse, ut observet singula, quæ in litteris dispensationis à superiore dispensante præscribuntur.

Si casus sit occultus, & dispensatio detur, vel ab Episcopo, vel ab ejus Vicario Generali, confessarius debet in Sacramento Pœnitentiæ pœnitenti dispensationem consecuto ea præscribere, quæ superior dispensans ordinaverit.

Si vero casus sit publicus, & dispensatio danda sit ab Episcopo, debet scribi in charta, & Officiali offerri, & ab eo publicari, seu, ut dicunt, fulminari, ut hi, quorum inter est, videant, an petentes dispensationem, falsum dixerint, vel verum necessarium dicendum tacuerint.

Si casus sit publicus, & dispensatio detur à summo Pontifice, dispensatio scribitur in membrana cum sigillo plumbeo, & ad Officialem dirigitur, qui eam Bullam in Pronao publicat, seu, ut dicunt, fulminat, ut hi, quorum interest, videant, utrum petentes dispensationem, falsum dixerint, vel verum necessarium dicendum tacuerint.

Quintò, confessarius delegatus, vel ab Episcopo, vel ab ejus Vicario Generali, vel à Papa, vel à Poenitentiaria Romana, delegatus, inquam, ad dispensandum aliquem, debet eum absolvere à peccatis, si indigeat, postea vero eum dispensare; & ut id faciat cum aliquo ritu ceremoniali, potest sequentem formam adhibere.

Eadem autoritate declaro te absolutum, & dispensatum in dicto voto, quod eliciuisti... In dicto impedimento matrimoniali, quod contraxisti... In dicta, vel irregularitate, vel suspensione, vel excommunicatione, quam incurriſti, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

Et si velit titum illum ceremonialem clarius adhuc exprimere, poterit naturam rei, in qua datur dispensatio explicite declarare, hoc modo.

Declaro te dispensatum in voto religionis, quod eliciuisti, adeo ut possis licetē remanere in sacerdote, & nubere in Domino... In voto castitatis, quod eliciuisti, adeo ut possis validē & licetē matrimonium contrahere, debitum conjugale reddere, & exigere... In matrimoniali impedimento, adeo ut possis validē & licetē matrimonium cum tali

TRACT. IV. CAP. VII. 395
affini, vel cognato contrahere, & in eo debitum
conjugale reddere, & exigere.

Ego eadem autoritate absolvō te à vinculo,
vel excommunicationis, vel suspensionis, vel
interdicti, vel irregularitatis, quam incurristi
ob tale factum (Hic afferendum est factum)
& restituo te Sacramentis Ecclesiae, communio-
nioni fidelium, executioni tuorum ordinum,
vel officiorum, vel beneficiorum, in nomine
Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

§. XII.

Referuntur varia motiva, ob que dari solet
dispensatio.

Dispensationes solent vulgo circa triplicem
materiam peti, scilicet. 1°. Circa vota.
2°. Circa impedimenta matrimonialia, vel
precedentia matrimonium, vel supervenien-
tia matrimonio jam contracto. 3°. Circa ex-
communications, suspensiones, interdicta,
& irregularitates.

Motiva dispensandi in voto, v. g. intran-
di religionem sunt hæc, aut similia; pau-
pertas parentum. v. g. patris, matri, fra-
tris, sororis, quibus, qui vovit, posset in
sæculo manens, auxilium ferre; debilitas
virium, ob quas vovens non potest onera
religionis sustinere'; metus incontinentie;
defectus dotis necessariae, ut recipiatur in
religione.

Motiva dispensandi in voto perpetuae cas-
titatis sunt, metus incontinentie; graves cir-
ca luxuriam tentationes, &c.

Motiva dispensandi in impedimentis matrimonialibus, quæ matrimonium præcedunt, sunt hæc, & similia; extinctio litium vel odii, si matrimonium inter agnatos aut affines contrahatur; inæqualitas conditionum partium matrimonium contrahentium, nisi consanguineis, vel affinibus nubatur; defectus dotis competentis; arætudo loci, quo sit, ut non nisi difficulter matrimonium ineatur, nisi vel inter cognatos vel affines; conservatio facultatum in eadem cognatione.

Motiva dispensandi in impedimentis matrimonialibus matrimonio jam contracto supervenientibus sunt hæc, aut similia; ablato scandali, quod oriretur, si dissolveretur matrimonium; metus incontinentiæ, vel in altero, vel in utroque conjugi, si uterque non haberet jus reddendi, & exigendi debitum conjugale.

Motiva dispensandi & absolvendi in excommunicationibus, suspensionibus, interdictis, irregularitatibus, sunt hæc, aut similia; sinceritas pœnitentiæ in eo, qui petit dispensationem; desiderium satisfaciendi parti læsæ; necessitas ministrorum Ecclesiæ, & utilitas, quam Ecclesia percipere potest ex ministris dispensationem obtinentibus; melius est enim uti ministris, quibus dispensationes conceduntur, quam novos ministros ordinare, qui non ita utiliter Ecclesiæ ministrarent.

§. XIII.

Variae formulæ supplicationum.

Laborant vulgo confessarii in efformandis supplicationibus, quibus utendum est ad petendam dispensationem, vel ab Episcopo, vel à Papa, vel à Pœnitentiaria Romana; ideo placuit exemplaria aliquot hujusmodi supplicationum hic apponere, ad quorum instar poterit quilibet juxta casum sibi propositum supplicationem effingere nomine suis pœnitentis.

Formula supplicationis ad dispensationem obtinendam circa votum Papæ reservatum.

Beatissime Pater, devotus in Christo Filius N. N. Hic apponi debet nomen oratoris, vel oratrix. Si casus fit occultus, apponitur solum nomen baptismatis. Si casus fit publicus, apponitur nomen, & baptismatis, & familiæ. Diœcesis N. exhibit sanctitati vestræ, quod natus anno N. Hic apponi debet ætas, quæ votum fuit elicium. Plenâ deliberatione votum elicuit. Hic exprimitur natura voti, v. g. votum perpetuae castitatis, votum intrandi Religionem approbatam, &c. Idemque humilis orator supplicat sanctitati vestræ, ut dignetur eum à tali voto gratiore absolvere, & illud in alia pietatis exercitia commutare. Si orator vel oratrix motiva particularia habent petendi dispensationem, hic apponi debent sine fuso & mendacio. Hanc expectat gratiam humilis in Christo orator, si hæc motiva videatur sanctitati vestræ sufficientia, cuius

398 MORALIS CHRISTIANA
judicio & autoritati vult semper acquiescere.
Datum N. die N. mensis N. anno N.

Formula supplicationis ad obtinendam dispensationem pro impedimento matrimoniali Papae reservato, & matrimonium præcedente.

Beatissime Pater, devotus in Christo Filius N. N. *Hic apponi debet nomen & cognomen sponsi.* Diœcesis N. & devota in Christo Filia. *Hic apponi debet nomen & cognomen sponsæ.* Diœcesis N. scientes se esse in secundo, vel tertio consanguinitatis, vel affinitatis gradu, volunt tamen matrimonium inter se contrahere. Cum id nequeant juxta Canones sine licentia Sedis Apostolicæ, supplicant humiliter sanctitati vestre, ut dignetur hanc eis facultatem gratiōsē concedere. Si orator & oratrix motiva habeant pētendi hanc dispensationem, hic apponi debent hæc motiva sine falso & mendacio: & exprimi debet, si sint nobiles, vel pauperes, an intervenierit copula carnalis, & quo motivo, an ex sola passione, an ex desiderio facilius obtinendi dispensationem. Hanc expectant gratiam humiles in Christo orator & oratrix, si allata motiva videantur sufficientia sanctitati vestre, cuius autoritati & judicio volunt semper acquiescere. Datum N. die N. mensis N. anno N.

Formula supplicationis ad obtinendam dispensationem pro impedimento matrimoniali Papae reservato, & matrimonio jam contracto supervenienti.

Beatissime Pater, devotus in Christo Filius

N. N. Diœcesis N. Matrimonio conjunctus cum N. N. exhibet sanctitati vestræ, quod Matrimonio illi jam contracto supervenerit impedimentum publicum Sedi Apostolicæ reservatum. *Hic apponi debet natura impedimenti.* Idemque humilis orator supplicat sanctitati vestræ, ut dignetur eum à tali impedimento absolvere; adeo ut possit validè & licitè debitum conjugale & reddere, & exigere. Hanc expectat gratiam humilis orator à sanctitate vestra, cuius judicio & autoritati vult semper acquiescere. Datum N. die N. mensis N. anno N.

Formula supplicationis ad oblinendam absolutionem & dispensationem circa excommunicationem, suspensionem, interdictum, irregularitatem Papæ reservatam.

Beatissime Pater, devotus in Christo Filius N. N. Diœcesis N. exhibet sanctitati vestræ, quod excommunicationem, vel suspensionem, vel interdictum, vel irregularitatem Sedi Apostolicæ reservatam ob tale factum incurrit. *Hic debet sine furo & mendacio exprimi factum, ob quod lapsus est in excommunicationem, vel suspensionem, vel interdictum, vel irregularitatem.* Idemque humilis orator supplicat sanctitati vestræ, ut dignetur eum à tali excommunicatione, vel suspensione, vel interdicto, vel irregularitate absolvere, impositâ congruâ parti læsæ satisfactione, & salutari pœnitentiâ. Hanc expectat gratiam humilis in Christo orator à sanctitate vestra, cuius judicio & autoritati vult semper acquiescere. Datum N. die N. mensis N. anno N.

Formula supplicationis exhibendæ Episcopo; vel Archiepiscopo, vel ejus Vicario Generali in casibus Sedi Apostolice non reservatis.

Reverendissime in Christo Pater, devotus in Christo Filius N. N. hujuscē Diœcesis exhibet celsitudini vestræ, quod in casum incederit Sedi Apostolicæ non reservatum, cuius absolutionem, *vel* dispensationem à celsitudine vestra obtinere potest. *Hic exprimi* debet *casus* *sincerè & sine fuso*, ut Ordinarius videat, an valeat circa *talem casum* *autoritatem suam exercere*. Motiva petendi hujusmodi dispensationem, *vel* absolutionem sunt hæc. *Hic afferri debent motiva, quæ habet orator petendi dispensationem vel absolutionem*. Hanc expectat gratiam humilis in Christo orator, si predicta motiva videantur sufficientia celsitudini vestræ, cuius iudicio & autoritati vult semper acquiescere. Datum N. die N. mensis N. anno N.


In sequenti Tomo agetur de primo Decalogi Precepto.


Domine Deus une, Deus Trinitas, quæcumque dixi in his libris detuo, agnoscant & tui, si qua de meo, & tu ignosce, & tui, Amen.
Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 51.

Errata primi Voluminis.

- Pagina 21. linea 21. loco ergo lege erga.
 Pag. 23. lin. 21. loco excogatarit lege ex-
 cogitarit.
- Pag. 33. lin. 2. post. confirmatum adde est.
- Pag. 37. lin. 25. loco subrabit lege subtrabit.
- Pag. 44. lin. 28. loco qua lege quæ.
- Pag. 52. lin. 24. loco eorumdem lege eorumdem.
- Pag. 67. lin. 16. loco afferant lege afferunt, &
 lin. 31. loco. sacras lege sacros.
- Pag. 68. lin. 15. loco quas lege quam.
- Pag. 74. lin. 8. loco salvæ lege salvi & lin.
 penult. loco pauperiem lege pauperem.
- Pag. 80. lin. 10. loco motum lege morum. &
 lin. 13. loco dificiat lege deficiat.
- Pag. 83. lin. 12. loco ididem lege ibidem.
- Pag. 99. lin. 11. loco muliercula lege mulier-
 culæ. & lin. 32. loco acceptum lege acceptam.
- Pag. 118. lin. 31. loco conscientia lege con-
 scientia.
- Pag. 132. lin. 19. loco allera lege altera. & lin.
 21. loco æquilibrio lege æquilibrio.
- Pag. 161. lin. 25. loco De lege Deo. & lin.
 penult. loco saucti lege sancto.
- Pag. 184. lin. 16. loco legis lege lèges. & loco
 eorum lege earum.
- Pag. 190. lin. 24. loco idolatritis lege idola-
 titis.
- Pag. 194. lin. 26. loco infictio lege infictio.
- Pag. 199. lin. 13. loco morti lege morte.
- Pag. 210. lin. 6. loco poterant lege poterunt.

- Pag. 214. lin. 31. loco *periclitares* lege *periclitari*s.
- Pag. 216. lin. 12. loco *ordinationi* quæ lege *ordinationi*quo.
- Pag. 218. lin. 15. loco *sacere* lege *facere*.
- Pag. 223. lin. 14. loco *induant* lege *induant*.
- Pag. 225. lin. 14. loco *constitutum* lege *consti-tutam*.
- Pag. 233. lin. 1. litt. o. quæ est in fine, rejice
in finem 2. & lin. 22. loco *ista* lege *iste*.
- Pag. 239. lin. 20. loco *baptizatos* lege *bapti-zatis*.
- Pag. 240. lin. ult. loco *secularum* lege *secu-larem*.
- Pag. 241. lin. 21. loco *ciliciam* lege *ciliciam*.
- Pag. 241. lin. 23. loco *confessari* lege *confessarii*.
- Pag. 243. lin. 13. post. est adde *de*.
- Pag. 245. lin. 30. loco *obio* lege *ob id*.
- Pag. 246. lin. 27. loco *exercere* lege *exerceri*.
- Pag. 249. lin. ult. loco *Ecclesie* lege *Ecclesia*.
- Pag. 250. lin. 2. loco *qualibet* lege *quælibet*.
lin. 10 loco *venerant* lege *venerantur*. lin. 18.
post *solum* adde *ex*. & lin. 32. loco *mones*
lege *moneo*.
- Pag. 252. lin. 22. loco *ut* lege *tu*.
- Pag. 255. lin. 22. post *quidquid* adde *est*. & lin.
ult. loco *rivare* lege *privare*.
- Pag. 266. lin. ult. loco *ferret* lege *ferret*.
- Pag. 295. lin. 10. loco *spiritui* lege *spiritus*.
- Pag. 309. lin. 30. loco *quam* lege *quæ*.
- Pag. 324. lin. 28. loco *injustam* lege *justam*.
- Pag. 341. lin. 1. post *inveterate* adde *dierum*.
- Pag. 343. lin. 3. loco *mutare* lege *mutari*.
- Pag. 345. lin. 18. loco *Christianus* lege *Christianum*.
- Pag. 380. lin. 1. loco *certum* *conveniamur* lege
circumveniamur.





ERRATA NOTABILIORA.

- Pagina 3. linea 1. promissionis , lege promissiones.
- P. 15. lin. 21. ludrica leg. ludicra.
- P. 29. lin. ult. uberrimo leg. uberrimos.
- P. 33. lin. 13. quod leg. quo.
- P. 34. lin. 12. consuerit leg. consuevit.
- P. 40. lin. 21. obvandis leg. observandis.
- P. 41. lin. antepenult. post ingenerat dele punctum.
- P. 52. lin. 14. ab leg. ob , & lin. 22. post Jerusalem dele punctum.
- P. 60. lin. 13. Eleborica. leg. Eliberit.
- P. 72. lin. 5. factus leg. tactus.
- P. 79. lin. 26. tenemus leg. tenemur.
- P. 83. lin. 9. Epitectus leg. Epictetus.
- P. 93. lin. 1. reluctaret. leg. reluctaretur , & lin. 3. carnis leg. carnes.
- P. 95. lin. 4. coenacula leg. coenula , & lin. 18. Ecclesiæ leg. Ecclesia.
- P. 101. lin. 17. inducere leg. induere.
- P. 104. lin. 12. Antonio leg. Antonino.
- P. 106. lin. 1. electuari leg. electuaria.
- P. 107. lin. 20. modium leg. modicum.
- P. 108. lin. 1. strictus leg. strictius , & lin. 29. incurrat leg. incurvat.
- P. 109. lin. antepenult. medicantur leg. medeantur.
- P. 112. lin. 3. post possunt dele punctum.
- P. 113. lin. 7. post Sic adde si.
- P. 114. lin. 13. refectionum leg. refectionem.
- P. 119. lin. 3. orationes leg. oblationes.
- P. 121. lin. 5. bonis leg. pœnis.

- P. 123. lin. 24. intelligendi leg. infligendi,
& lin. 30. utitur leg. uritur.
- P. 128. lin. 23. formulas leg. formatas.
- P. 131. lin. 2. coercionem leg. coercitionem.
- P. 140. lin. 21. utro leg. ultrò, & lin. ante-
penult. neradicemus leg. eradicemus.
- P. 143. lin. 26. indigus leg. indignus.
- P. 153. lin. 25. Substratiis & perditiis leg. Sub-
ttactis & perditis.
- P. 154. lin. 10. delegante leg. delegante.
- P. 162. lin. 9. quo, leg. quæ.
- P. 164. lin. penult. influxit leg. inflixit.
- P. 168. lin. 17. commemoratur leg. commora-
tur.
- P. 169. lin. 1. Episcopum leg. Episcopalem.
- P. 181. lin. 22. affixionem leg. affixionem.
- P. 184. lin. 29. initio dele non.
- P. 191. lin. 22. monitoribus leg. monitionibus!
- P. 197. lin. 19. qui leg. quia.
- P. 199. lin. 21. habeat leg. habeant, & lin. 23.
ei leg. eis.
- P. 207. lin. 24. alienandæ leg. alienandis.
- P. 234. lin. 24. amante leg. amente.
- P. 241. lin. 3. maleficiens leg. malfaciens.
- P. 242. lin. 15. est leg. ex.
- P. 244. lin. 22. easque leg. eosque.
- P. 249. lin. 17. conceptione leg. correctione.
- P. 258. lin. 20. notorium leg. notoriam.
- P. 260. lin. 26. aliquid leg. aliud.
- P. 267. lin. 20. sententia leg. scieatia,
- P. 268. lin. 12. sexti leg. secundi.
- P. 271. lin. 21. factam leg. facta.
- P. 275. lin. 14. expressè leg. expresso.
- P. 285. lin. 14. resinet leg. resignet.
- P. 292. lin. 26. post Beneficiorum adde non;

P. 315. lin. 31. Nēl leg. vel , & ambientium.
leg. ambientium.

P. 351. lin. 15. post sunt dele quod.

P. 367. lin. 28. post Laicus dele punctum.

P. 369. lin 20. sīde leg. de.

P. 370. lin. 20. qnoquovis leg. quovis..

P. 372. lin. 18. ifthac leg. ifthæc.



今人